CARMINUM SALIARIUM

RELIQUIAE

EDIDIT

B. MAURENBRECHER.

COMMENTATIO EX SUPPLEMENTO UNO ET VICESIMO ANNALIUM PHILOLOGICORUM
SEORSUM EXPRESSA.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCXCIV.

59984

PAGINARUM NUMERI SUNT SUPPLEMENTI UNIUS ET VICESIMI ANNALIUM PHILOLOGICORUM.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

I. H. LIPSIO

SACRUM.

I.

Prolegomena.

1. De Saliis sacerdotibus.[1])

Salios fuisse collegium Latinis vel omnibus Italis commune constat comprobaturque locis satis iam a Marquardtio collectis, velut in Latio fuerunt Salii Albae longae, Anagniae, Lanuvii, Tiburi, Tusculi; unde eos per civium Romanorum Latinorumve colonias delatos puto etiam in Galliam cisalpinam, sicut Veronam, Patavium, Ticinum, quin in provincias trans mare sitas, velut Saguntum. Etiam apud Umbros extitisse Salios sequitur e tabula Iguvina VI A 14, ubi in constituendis templi finibus 'tettome Noniar, tettome Salier' (= ad templum Noniae et ad templum Salii) dicitur. Itaque inter Romanorum sacerdotes etiam Salios fuisse non est cur miremur, miramur sane duo vel forte tria ibi reperiri Saliorum genera, et Palatinos et Collinos (sive Quirinales Agonensesve), quibus tertii forsitan adnumerentur Pavorii Palloriique. Palatinos quidem a Numa rege institutos esse vetere apud Romanos auctores memoria sanctum erat (cf. Liv. I 20, 4, Plut. Num. c. 13, auct. de vir. ill. c. 3, Dionys. II 70—71, Ovid. fast. III 263—398, Lydum de mens. IV 2, Paul. Diac. ex Fest. p. 99 Th., 131 M.). Collinos a Tullo Hostilio esse additos plerique putarunt veteres, velut Dionys. hist. Rom. II 70: 'οἱ μὲν γὰρ Ἀγωναλεῖϲ ὑπὸ δέ τινων Κολλῖνοι καλούμενοι Ϲάλιοι . . . ἀπεδείχθηϲαν ὑπὸ βαϲιλέωϲ Ὁϲτιλίου', item III 32, Cass. Dio fr. 6, 5: 'τοῦ δὲ θείου πάνυ καταφρονήϲαϲ παρημέλει, μέχριϲ οὗ νόϲουϲ λιμώδουϲ γενομένηϲ καὶ αὐτὸϲ ἠρρώϲτηϲε· τότε γὰρ τῶν τε ἄλλων θεῶν δι' ἀκριβείαϲ ἐπεμελήθη καὶ τοὺϲ Ϲαλίουϲ τοὺϲ Κολλίνουϲ προϲκατέϲτηϲε.' Alienam de Saliis Collinis sententiam protulit Varro de l. l. VI 14: 'Duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini et Quirinales a Numa instituti, ab Hostilio vero Pavorii et Pallorii instituti.' Praeterea fuerunt sane qui grammaticorum recentiorum more Salios Graecis Etruscisve deberi contenderent.

1) De Saliis cf. Marquardt, *Römische Staatsverwaltung, vol. III ed. 2 p. 427 sq.;* cuius luculentam copiosamque commentationem ne super quam opus est repetam, nonnisi paucas res hic tractabo, de reliquis ut Marquardtium legas petam.

Quorum omnium sententias quasi in unum contulit Servius (schol. Dan.) ad Aen. VIII 285: 'horum numero Hostilius <totidem> addidit; nam duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur Collini et Quirinales a Numa instituti, ab Hostilio vero Pavorii et Pallorii instituti; habuerunt sane et Tusculani Salios ante Romanos. Alii dicunt Salium quendam Arcada fuisse, qui Troianis iunctus hunc ludum in sacris instituerit, nonnulli tamen hos a Dardano institutos volunt, qui Samothracibus diis sacra persolverent. Quidam etiam dicunt Salios a Morrio rege Veientanorum institutos, ut Alesus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui eiusdem regis familiae auctor ultimus fuit.' Quae de Saliis Collinis Pavoriisque tradit, Servium verbo tenus e Varrone exscripsisse patet; duplicem illam sententiam de Graeca Saliorum origine, quam e Verrio Flacco hausit scholiasta, alteram Polemoni periegetae, alteram Critolao cuidam deberi sequitur e Festo p. 482 (326) 'Salios a saliendo et saltando dictos esse quamvis dubitari non debeat, tamen Polemon ait Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui iuvenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace cum Aenea deos Penates qui Lavinium transtulerit, saliare genus saltandi instituisse'; Polemonis sententiam Servius profert ad Aen. VIII 663: 'alii a Salio Aeneae comite dictos volunt', cf. praeterea Plut. Num. c. 13: 'Σάλιοι δὲ ἐκλήθησαν, οὐχ ὡς ἔνιοι μυθολογοῦσιν, Σαμόθρᾳκος ἀνδρὸς ἢ Μαντινέως, ὄνομα Σαλίου, πρώτου τὴν ἐνόπλιον ἐκδιδάξαντος ὄρχησιν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως αὐτῆς ἁλτικῆς οὔσης.' Varronis mira de Saliis Pavoriis Palloriisque narratio etiam Livio cognita fuisse videtur, quod colligas necesse est ex Liv. I 27, 7: 'Tullus in re trepida duodecim vovit Salios fanaque Pallori et Pavori'[1]); nam etiamsi conditos a Tullo rege Pallorios Salios esse copiose non effatur Livius, tamen hanc fabulam in animo eum habuisse allusisseque ad eam collato Varrone efficitur.

Duo igitur sacerdotum Saliorum fuerunt collegia, quorum alterius templum in Palatino monte, alterius in Quirinali fuit; utriusque de origine nihil iam sciebant antiqui, itaque a regibus condita esse fabulabantur, in eo vero consenserunt (et hoc tenendum est) priorem ordinem obtinuisse Palatinos, posteriorem Collinos. Atque his nomen Agonensibus fuisse cum reperirent, alio alius modo grammatici ut nomen vetustum et a lingua latina alienum interpretarentur operam navarunt, velut Varro de l. l. VI 12: 'dies agonales, per quos rex in regia arietem immolat dicti ab agone, eo, quod interrogatur a principe civitatis et princeps gregis immolatur'; Varronis aliorumque etymologias habes apud Ovidium Fast. I 319 sq.:

1) E Livio hauserunt Lactantius inst. div. I 20, 11: 'Pavorem Palloremque Tullus Hostilius figuravit et coluit' et Augustinus de civ. Dei IV 23: 'Hostilius certe rex deos et ipse novos Pavorem atque Pallorem propitiandos non introduceret' etc.

'Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia caelitibus quo feriente cadit,
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper 'agatne' rogat, nec nisi iussit agit.
Pars, quia non veniant pecudes sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
An quia praevisos in aqua timet hostia cultros
A pecoris lux est ipsa notata metu.
Fas etiam, fieri solitis aetate priorum
Nomina de ludis Graeca tulisse diem.
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum,
Una sit ut proprio littera dempta loco.
Nam 'pecus' antiquus dicebat 'agonia' sermo
Veraque iudicio est ultima causa meo.'

Postremam ipsiusque Ovidii originationem effert inter alia etiam Festus p. 7 (10): 'agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat, hostiam enim antiqui agoniam vocabant. Agonium etiam putabant deum dici praesidentem rebus agendis; agonalia eius festivitatem. Sive quia agonos dicebant montes, agonia sacrificia quae fiebant in monte; hinc Romae mons Quirinalis Agonus et Collina porta Agonensis', cf. ibid. p. 338 (254): 'Quirinalis collis, qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur'; cf. etiam Lydum de mens. III 25: 'διὰ τὸ κυκλοτερὲς παρὰ τὸ μὴ ἔχειν γωνίαν'. Harum etymologiarum maiorem partem meras nugas esse elucet, nobis sane opus est ut Agonensium nomen cum ceteris vocibus similibus duce Festo comparemus. Atque deum Agonium nomen originemque accepisse ab ipso festo nemo infitias ibit, neque festus Agonii sive Agoniorum sive Agonalium dies originem his nominibus fecisse putandus est. Restant agonus Quirinalis montis nomen et agonia, hostiae vox; iure autem Wissowa 'agoniam' priorem esse vocem, unde 'Agonus' mons nomen mutuasset (= „*Opferberg*") exposuisse mihi videtur, cf. Umbrorum tab. Ig. V B 'posti acnu' i. e. ad sacrificia. Agoniorum igitur dies festi nil nisi 'dies quibus sacrificatur' intelligendi sunt, Salii autem Agonenses nomen ab monte, ubi sacra faciebant templumque habebant accepisse videntur.

Iam quaeritur, quonam modo Pallorios Pavoriosque Salios explicemus. Quos quamquam a Tullo rege conditos esse Varro tradit, non eosdem intelligendos esse atque Collinos sequitur ipso Varronis loco, quo utrumque sacerdotium sibi opponitur; neque vero tertium Saliorum genus id fuisse autumare licet, quoniam eodem illo loco Varro 'duo' ait 'sunt genera Saliorum' huiusque rei testem affert ipsa Saliorum carmina; atque percipimus memoriam Varroni Livioque subesse a ceterorum grammaticorum commentationibus plane alienam haustamque ex ipsis sacerdotum libris fabulisve sacris. Sic igitur concludendum est, hos Salios, qui fana Pavori Pallorique ab Hostilio, ut fama erat, dicata ministrabant, diversos esse ab Ago-

nensibus, non esse tertium ceterisque ignotum auctoribus sacerdotium, ergo esse eosdem ac Palatinos Salios. Neque vero talis sententia abhorrere videtur a veri specie: etenim Martem fuisse deum, quem imprimis Palatini Salii venerarentur laudarentque constat; Pavor autem Pallorve quid sunt aliud nisi Martis comites — modo Martem belli deum acceperis — notionesque e virtutibus Marti propriis abstractae? — Itaque ut summam faciam, duo fuerunt Romae sacerdotum Saliorum genera templaque, alterum in Palatino, alterum in Quirinali monte; illi Romani Latiniqυe fuerunt; hos a Sabellis conditos esse Sabinorumque deos ritu Sabino coluisse et per se putandum est et comprobatur nomine eorum non latino, quo Sabellorum more agonias sacra sua, Agonum montem, ipsos Agonenses sese appellabant. Postea vero sive alio modo sive συνοικισμῷ facto magis magisque secum coaluerunt; eodem ritu saltabant, eodem canebant, isdem fere diebus sacra dis faciebant, quin deos, quos alterum collegium coluisse alteros infra disputabitur, eosdem omnes concrescentibus Romae diversarum gentium divis adorabant. Mediis liberae rei publicae temporibus Graecarum religionum undique Romam incurrentium impetui neque Salios restitisse ex Herculis cultu efficitur (*vide infra*); imperatoria aetate quid valuerint incertum est, quamquam imperatores favisse his sacerdotibus ipsosque religiose cultos ab illis esse verisimile est. Etiam exeunte quarto p. Chr. n. saeculo fuisse Romae Salios ex inscriptione CIL VI 2158 bene conclusit Marquardt.

2. De carminibus Saliaribus testimonia.

a) Testimonia de carminibus a Saliis cantatis et de Numa auctore eorum:

Livius I 20, 4 (Numa): 'Salios item duodecim Marti Gradivo legit... per urbem ire canentes cum tripudiis sollemnique saltatu.'

Ovid. Fast. VIII 387 (de Numa):

'Iam dederat Saliis a saltu nomina dicta,
Armaque et ad certos verba canenda modos.'

Cic. de or. III 197: 'Quorum (sc. numerorum atque vocum) illa summa vis carminibus est aptior et cantibus, non neglecta a Numa rege doctissimo maioribusque nostris, ut epularum sollemnium fides ac tibiae Saliorumque versus indicant.'

Horat. epist. II 1, 86:

'Iam Saliare Numae carmen qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, solus volt scire videri.'

Quintil. I 10, 20: 'Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit; versus quoque Saliorum habent carmen. Quae cum omnia sint a Numa rege instituta' etc.

Varro de l. l. VII 2: 'Aelii hominis in primo in litteris latinis exercitati interpretationem carminum Saliarium videbis et exili lit-

tera expeditam et praeterita obscura multa, nec mirum..... At hoc quid ad verborum poeticorum aetatem? Quorum si Pompili regnum fons in carminibus Saliorum neque ea ab superioribus accepta, tamen habent 700 annos. Quare cur scriptoris industriam reprehendas, qui herois tritavum, atavum non potuerit reperire, cum ipse avi, tritavi matrem non possis dicere? Quod intervallum multo tanto propius nos, quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba poetica dicunt latina.'

Plut. Num. c. 13: 'Μνήμην τινὰ δι' ᾠδῆς ὑπὸ τῶν Cαλίων ἅμα τῇ πυρρίχῃ διαπεραινομένης.'

Dionys. h. R. II 70: 'οὗτοι πάντες οἱ Cάλιοι χορευταὶ τινές εἰςι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνόπλων θεῶν' et paullo infra: 'καὶ πατρίους τινὰς ὕμνους ᾄδουςιν ἅμα ταῖς χορείαις' (item ib. III 32).

Lydus de mens. IV 2: 'δυοκαίδεκα πρυτάνεις πρὸς τοῦ Νουμᾶ τοὺς καλουμένους Cαλίους ὁριςθῆναί φαςιν ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν.'

Terentius Scaurus (VI p. 28 K) [ad fr. 6]: 'ut Numa in Saliari carmine'.

b) Sermonem, quo carmina Saliaria composita erant, pervetustum fuisse ac vix intelligi potuisse testantur:

Varro de ling. lat. l. l. (VII 2). Horat. ep. II 1, 86. l. l. — Quintilianus I 6, 40: 'Opus est modo, ut neque crebra sint nec manifesta (sc. verba vetusta) . . nec utique ab ultimis et iam oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt 'topper' et 'antegerio' et 'exanclare' et 'prosapia' et Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari vetat religio et consecratis utendum est.'

Symmachus ep. III 44 (ad Silurium): 'Si tibi vetustatis tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus Salii canunt et augures avem consulunt et decemviri tabulas condiderunt.'

Sidonius Apollinaris epist. VIII 164: 'Unde enim nobis illud loquendi tetricum genus et perantiquum? Unde illa verba Saliaria vel Sibyllina vel Sabinis abusque Curibus accita, quae magistris plerumque reticentibus promptius fetialis aliquis aut flamen aut veternosus legalium quaestionum aenigmatista patefecerit.

Isid. orig. IX 1, 6: 'Latinas autem linguas quattuor esse quidam dixerunt, id est Priscam, Latinam, Romanam, mistam. Prisca est, qua vetustissimi Italiae sub Iano et Saturno sunt usi incondita, ut se habent carmina Saliorum.'

c) De nominibus carminum agitur:

Paul. ex Fest. p. 3 (3): 'Axamenta dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis sacerdotibus canebantur in universos ⟨deos⟩ omnes[1])

1) deos omnes] *correxi*, homines *codd.*, deos *C. O. Müller*, universa numina *Grauert*, semones *Hartung*, in universos ⟨eos quos generatim invocarent⟩ *Zander*.

composita; nam in deos singulos versus ficti a nominibus eorum appellabantur, ut Ianuli, Iunonii, Minervii', quocum conferas velim Paul. Diac. p. 6 (8): 'axare, nominare'.

d) De carminum saltationisque modis: Praeter Ciceronis l. l.

Livius I 26, 4: 'per urbem ire canentes cum tripudiis sollemnique saltatu.'

Ovidius l. l.: 'Ad certos verba canenda modos.'

Quintil. I 10, 20: 'versus quoque Saliorum habent carmen.'

Horat. carm. IV 1, 25:

'Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
In morem Salium ter quatient humum.'

id. I 36, 12: 'Neu morem in Salium sit requies pedum.'

Plutarch. Num. c. 13: 'Κινοῦνται γὰρ ἐπιτερπῶς, ἑλιγμούς τινας καὶ μεταβολὰς ἐν ῥυθμῷ τάχος ἔχοντι καὶ πυκνότητα μετὰ ῥώμης καὶ κουφότητος ἀποδιδόντες.'

Lucianus de salt. c. 20: ''Επὶ τούτοις δίκαιον μηδὲ τῆς Ῥωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ εὐγενέστατοι αὐτῶν τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν θεῶν Ἄρει οἱ Σάλιοι καλούμενοι . . . ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην.'

Dionys. II 70: 'Κινοῦνται γὰρ πρὸς αὐλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐνοπλίους κινήσεις, τοτὲ μὲν ὁμοῦ, τοτὲ δὲ παραλλάξ.'

Allatis Livii, Horatii, Plutarchi locis cum efficiatur saltasse Salios modo per tres pedes descripto, i. e. trochaico iambicove, simul consequatur eisdem modis etiam carmina eorum concepta esse, contra modo quattuor pedum i. e. spondiaco illos saltasse ac cecinisse refert Diomedes (I p. 476 K): 'Numam Pompilium . . . hunc pedem pontificium appellasse memorant, cum Salios iuniores aequis gressibus circulantes induceret et spondeo melo patrios placaret indigetes.'

3. De carminum Saliarium indole argumento historia.

Carmen hoc de quo agimus Saliare appellari a viris doctis solet, carmina Saliaria ego quidem et inscripsi titulum et ubique laudavi; quare primum utrum nomen rectum sit circumspiciamus. Atque si numerare velis veterum auctorum de Saliaribus carminibus testimonia, invenies eandem locorum copiam utrique sententiae praesto esse, expendere ea si vis reperies graviores testes stare pro carminibus Saliaribus, non pro carmine. Atque Varro quidem utrumque laudat, carmina ea dicit loco supra allato (de l. l. VII 2 et de l. l. IX 61 (ad fr. 5), carmen bis appellat fr. 2 et 14, semel (ad fr. 1) 'in Saliorum versu' citat. Neque Festus (sive Verrium dicere mavis) constare sibi videtur, qui e 'carmine Saliari' fragmenta sumpsisse se laudat 9, 19, 22, 28, 35 (adde ex Paulo Diacono fr. 12 et 13),

e carminibus Saliaribus fr. 11, 12, 15. Sed carmina ea appellant Quintilianus I 6, 40, Nonius ad fr. 18, Servius ad fr. 17, Macrobius ad fr. 1 et 6, Isidorus loco supra allato, carmina complura fuisse exponit Verrius (ap. Paul. Diac. p. 3), cum diversa Saliarium carminum genera, axamenta, versus Ianulos, Iunonios, Minervios discernit. Contra[1]) carmen velut unum laudant exceptis Varronis Festique illis locis quos iam enumeravi, Horatius epist. II 1, 86, cui poetae de tali re nemo confidat, dein grammatici posteriores Terentius Scaurus ad fr. 6 et Velius Longus ad fr. 2. Porro si ipsa carminum fragmenta inspiciemus, elucebit iure Verrium complura carmina descripsisse, intelligimus enim varios deos, quos carminibus cultos legimus, etiam variis carminibus appellatos esse; velut fieri non potuit, ut fr. 2 quo Sol appellatur, qui omnem terram adeat ac pro Iano habendus sit, eodem carmine contineretur ac fr. 6, quo Iuppiter Lucerius i. e. solis deus invocatur. — Quare recte carmina Saliaria ab auctoribus veteribus gravissimis nominata esse existimo, Varro autem Verriusque quod praeter hanc tituli formam etiam carmen Saliare laudent, inde explicandum esse, quod carminum Saliarium editionem legerint uno libro contentam et quasi uno contextu compositam, non singula carmina a sacerdotibus vel e libris sacris petiverint.

Carmina a Saliis sacerdotibus in sacris faciendis atque in sollemni illo saltatu cantata ad res divinas sacrasque pertinere vix est quod moneam comprobaturque collatis carminum fragmentis quae aetatem tulerunt; namque e longioribus quidem fragmentis cognoscimus, constare carmina ex deorum invocationibus appellationibusque et precibus. Quamquam comparatis scriptorum quorundam locis, quibus fabula illa antiqua de Mamurio ancilium fabro exposita est, cum carminum fragmento 8, ubi Mamurius Veturius nomine laudatur, possis autumare, hanc similesque fabulas sacras ad Saliorum res divinas pertinentes enarratas esse carminibus contulerisque Homeri qui dicuntur hymnos maiores, quibus ἱεροὶ λόγοι deorum narrati sunt. Tamen e Varronis verbis ad fr. 8 allatis sequitur nihil in carmine Varronem legisse, nisi ipsa verba 'Mamuri Veturi', neque enim si plura repperisset Mamurium pro 'vetere memoria' interpretari potuisset; itaque intelligimus totam hanc fabulam de ancilibus a Mamurio factis postea ab aetiologis, qui veram nominis causam non iam noverant, cum ancilium explicandorum tum nominis Mamurii causa fictam esse. Neque est omnino exemplum quo demonstrari possit fabularum aliquarum narrationes carminibus Saliaribus intextas esse, immo ex hoc Mamurii fragmento Varronisque de eodem sententia verisimile fit argumenta carminum invocationes eas fuisse,

1) Nihil ad rem faciunt Cicero de or. III 197 et Quintilianus I 10, 20, qui 'versus Saliorum' citant; quod et de uno et de compluribus carminibus dici potuit.

e quibus constant carmina fratrum Arvalium, minores hymni, qui Homeri Orpheique sub nomine feruntur, vel hymni quidam Vedici.

Deinde si quaerimus quosnam in deos hymni a Saliis cantati sint, certiores fimus loco Pauli supra laudato fuisse et axamenta, quibus omnes dei invocati sunt, et versus in deos singulos compositos velut Ianulos, Iunonios, Minervios. Quocum si ipsas carminum reliquias comparamus, axamentorum quidem et Minervii carminis nihil aetatem tulisse videtur, Ianuli vero cantus vel complura fragmenta superstita sunt, quae infra leguntur fr. 1—4, Iunonio carmini fr. 5 attribuendum esse opinor. Etiam in alios deos praeter eos, quos Verrius testatur, hymnos a Saliis factos esse fragmenta docent, velut Iuppiter Lucerius canitur fr. 6, Mamurius (quem Martem potius putandum esse infra exponetur) fr. 8, divi terrae frugumque Saturnus fr. 11 Cerusque fr. 12. Porro Varronem cum memoriae traderet duo fuisse Saliorum genera 'sicut in Saliaribus carminibus invenitur', hanc ipsam rem in carminibus legisse minime credi potest: neque vero Saliorum carmina notissima cum commentariis sacerdotum quibusdam auctorem gravissimum confudisse equidem concesserim: sane duo illa Saliorum genera hausit e commentario carminum; etenim commentarium carminum Saliarium Varronem in usu habuisse glossario instructum sequitur e ratione, qua fragmenta affert (cf. imprimis Varronem de l. l. VII 26—27, fr. 1—4, 7, 20, 26, 27); rem igitur aliquam commemoratam esse in carmine, quam ad illustrandam duo illa genera laudata sint, concludo. Duo quae nominat genera Collini et Pavorii Palloriique sunt: Collini Salii notissimi sunt neque est, cur in commentario carmineve commemorentur; contra Salii Pavorii nusquam alibi nominantur: quare conicio, ansam appellandi eos commentatori dedisse aut mentionem Pavoris Pallorisque in carmine quodam factam aut — quod mihi propius ad veri speciem accedere videtur — carmen aliquod in horum deorum numina conceptum. Contra in Venerem deam carmen a Saliis non compositum cantumque esse tradit Macrobius I 12, 12: 'Sed Cincius in eo libro, quem de fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus dies festus nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a maioribus institutum sit, sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla ut ceterorum caelestium laus celebretur.' — Posteriore aetate Herculis cultum etiam a Saliis acceptum esse supra iam exposui; itaque Herculis laus in carminibus eorum canta esse videtur, eorumque carminum quod fuerit argumentum discimus e Vergilio Aen. VIII 288—302; at harum rerum nihil iam extat nostris carminum Saliarium fragmentis, sane carmina vetusta illa et composita sunt et sacra sanctaque facta multo antequam Herculem Salii adorare coeperunt.

Deinde e Servio ad Aen. VIII 285 'Quidam etiam dicunt Salios a Morrio rege Veientanorum institutos, ut Alesus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui eiusdem regis familiae auctor ultimus fuit',

concludere liceat, Alesi huius mentionem alicubi in carminibus factam esse; cum vero nesciamus, quis fuerit ille Alesus[1]) in re prorsus dubia compescere iudicium optimum erit.

Carmina Saliaria quo tempore composita, quando collecta librique in modum edita sint ignoramus.[2]) Iam inde a septimo u. c. saeculo extiterunt grammatici, qui commentariis vel glossariis ea instruxerunt, vel singulas Saliorum voces in libris grammaticis suis tractavere, hisque copiis Verrius Flaccus et Varro saepius usi sunt. Atque interpres carminum extitit L. Aelius Stilo, Varronis Ciceronisque ille praeceptor, cuius de opere Varro VII 2 'Aelii', ait, 'hominis in primo in litteris latinis exercitati interpretationem carminum Saliorum videbis et exili littera expeditam et praeterita obscura multa'; praeterea 'Aelius in explanatione carminum Saliarium' laudatur a Festo p. 116 (ad fr. 15), hic idem ex Aelii commentario hausisse se praedicat p. 258 (ad fr. 9), p. 484, p. 130 (fr. 12), fortasse p. 257 (fr. 13). Scaevolam appellat fontem Festus p. 244 (fr. 10), ubi patrem pontificem filiumne iurisconsultum an augurem Scaevolam subaudiamus incertum est. Aurelium Opilium, qui laudatur a Festo p. 116 (fr. 16), in libro suo Musarum nomine inscripto, quo plerumque de verborum significatione egisse videtur, etiam carminum Saliarium voces vetustas interpretatum esse existimo; eodem Festi loco 'Cloatius in libro sacrorum' (sc. Cloatius Verus) fons dicitur. Neque Nigidium Figulum in studiis carmina Saliorum omisisse sequitur e Nonio I p. 40 (ad fr. 18). Ac similiter etiam plures grammaticos antiquariosque aut cum voces vetustiores linguae Latinae interpretarentur aut cum de rebus sacris divinisve agerent, carmina haec tractasse veri est simile. De rebus sacris Saliorum — nisi forte de ipsis carminibus eorum — egisse videtur L. Cincius grammaticus, sive de verbis priscis libro sive eo de fastis[3]), cf. Fest. p. 484: 'Salias virgines Cincius ait esse conducticias' etc.; denique Hersennius num Romanos quoque Salios attigerit incertum est, cf. Macrob. III 12, 7: 'Est praeterea Octavii Hersennii liber, qui inscribitur „de sacris Saliaribus Tiburtium", in quo Salios Herculi institutos' etc.

Nostrae aetatis viri docti haud multi corrigendis, explanandis, ordinandis fragmentis carminum operam navarunt. Collegit ea Tobias Gutberleth '*de Saliis Martis sacerdotibus apud Romanos liber singularis*' (1704), p. 113 sq., deinde cum commentario edidit interpretatusque est W. Corssen '*Origines poesis Romanae*' (1846) p. 15—86; tum carminum reliquias collegerunt L. Havet '*De Saturnio Latinorum versu*' (*thes. fac. litt. Paris.* 1880) p. 243—55 et p. 405 sq.,

1) Qui idem esse videtur atque Halēsus, Agamemnonis filius, a quo Falerios conditos esse veteres auctores fabulantur; certe uterque e Graeca, non ex Italorum fabula oriundus est.

2) Quae hac de re coniectura assequi possimus videas infra p. 327.

3) Quod praeferendum esse mihi videtur modo conferam Macrobium I 12, 12.

E. Bährens '*Fragmenta poetarum Romanorum*' (1886) p. 29 sq., C. Zander '*Carminis Saliaris reliquiae*' (1888); ac leguntur fragmenta etiam in florilegiis Wordworthii '*Fragments and specimens of early Latin*' (1874) et Eggeri '*Latini sermonis vetustioris rcliquiae*' (1843). De maioribus fragmentis egerunt commentationibus copiosis Bergk '*Kleine philol. Schriften*' I p. 477 sq., Jordan '*Kritische Beiträge z. Gesch. d. latein. Sprache*' p. 211 sq. Magno quoque carminibus Saliaribus fuere fructui Grotefend (in Umbricae linguae enarratione), C. O. Müller (in Festi editione sua), dein metrici, qui de Saturnio versu egerunt, Düntzer ac Lersch '*de versu Saturnio*', L. Müller '*Der saturnische Vers*', Zander '*Versus Italici*', ii quoque qui latinitati vetustiori vel grammaticae operam navarunt saepius alius de alio carminum fragmento disseruerunt.

In recensendis carminum Saliarium fragmentis quam praeter priores viros doctos etiam Corssen secutus est viam plane nobis deserendam esse non est quod commemorem, qui cum locos taeterrime corruptos sanos putaret, quovis modo eos interpretari conatus latinitatem sibi finxit paene horribilem. Contra nostri aevi philologi velut Bergk, Jordan, Bährens ingenio critico admodum indulsere neglectis vel minus cognitis linguae latinae legibus ac historia: quin Zander, cui haud pauca vel conicienti vel interpreti optime contigerunt, in longioribus illis fragmentis tractandis adeo ex libidine verba carminum computavit, ut Hottentottorum fuisse eam linguam libenter ei concederem, Latinam Saliorum esse vehementer equidem negarem. Itaque ne in laceris corruptisque his fragmentis libidini obsequamur, et abstinendum erit ab audacibus illis priorum editorum coniecturis et sequenda quam maxime librorum memoria; quod hodiernis nobis multo facilius est, quam Corsseni Bergkiique aequalibus, cum omnia fere linguae Latinae inde ab ortu indogermanico usque ad interitum Romanicum fata hodie noverimus. — Omnino autem in verbis fragmentorum constituendis metrum neglexi; sane cum fragmenta corrupta incertaque sint, multo tamen magis incertum est metrum eorum saturnium, hance rectam esse viam existimo e librorum memoria sensuque contextum confirmare, tum demum metri leges e verbis carminum constituere. Namque plerique viri docti fulciendarum coniecturarum causa ubi alia argumenta praesto non fuerunt, metri leges causam sibi fuisse conclamaverunt.

Inter fragmenta ii tantum loci referendi sunt, qui aut testimonio grammaticorum aut certa quadam coniectura Saliaribus carminibus adscribi possunt; quem modum Corssen iusto amplius transgressus est, permultas Festi glossas, quibus aut res sacrae commemorabantur aut quae vetustiorem sermonis speciem prae se ferre ei videbantur carminibus assignans. Audiendus sane est Bergk, qui l. l. p. 477: 'Quod ego', ait, 'in hac quaestione summi momenti esse puto libros Saliorum rituales a carminibus distingendos esse'; ac cum Varro 'in libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium est'

legisse quaedam referat, eos locos, qui Saliaria verba continere videntur neque vero e carminibus sumpti esse laudantur, incertis aggregavi, utrum e carminibus an e libris Saliorum sint dubius.

4. De sermone atque metro carminum Saliarium.

Sermone carmina conscripta esse pervetusto constat inter auctores veteres, reliquiae quidem carminum quae aetatem tulerunt partim novatae sunt, partim tantam vetustatis speciem ostendunt, ut orta esse carmina eo aevo, quod nostram linguae Latinae notitiam multo antecedit, concedendum sit. Quare ut grammaticis serviam in unum hic conferre, quae ad linguae Latinae historiam spectant constitui.

Ac diphthongos quidem, quae pridem fuerunt, conservatas videmus in carminibus, ubi legimus 'Loucesie' fr. 6 pro recentiore 'Lucerie', 'foedesum' fr. 7, qua pro forma in ipsis carminibus extitisse 'foidesom' crediderim, contra eu diphthongum reperiri non posse falsoque illatam esse in fragmentorum textum infra ad fr. 6 disputatum est; etiam in declinationis suffixis servatas diphthongos animadvertimus, velut 'pilumnoe poploe' (vel potius 'pilumnoi poploi') fr. 19, 'priviclois' fr. 25, 'virei' fr. 6; contra novicias formas, quae quin grammaticis debeantur non dubito, illatas intelligimus fr. 26 'plisima', pro quo 'pleisima' in ipso carmine fuisse putaverim, fr. 1 'divom' pro 'deivom', item 'prae' pro 'prai' fr. 6, 28, 30, 'Saeturnus' pro 'Saiturnus' (modo a 'saviare' nomen dei derivare velis Kellerum secutus) fr. 11, 'Luciam' pro 'Louciam' fr. 5. — Atque illud oi usque ad secundum a. Chr. n. saeculum permansit, ou vero vel initio tertii saeculi evanuisse videtur; in suffixis quod habemus oi (pilumnoi, poploi, priviclois) ultra tertium saeculum Duenique vasculi ad tempora nos reiicit, porro 'ei' pluralis nominativi ultra Duenum nos delegat.

Etiam magis quam vocales syllabas finales in codicibus grammaticorum mutari potuisse apparet, quare plerumque in -us vel -um nunc exire verba Saliaria videmus, velut 'divum' ap. Varronem fr. 1, 'duonus', 'Cerus', 'Ianus' fr. 2, 'meliosum recum' fr. 3 saepiusque, quae tamen olim in carminibus per -os atque -om scripta esse sequitur e fr. 4 'ianituos' (quod e coniectura quidem restitutum est) ac fr. 24 'promeriom'; similiter in verbi declinatione 'tremonti' fr. 6 et 'praepotiont' fr. 30. Contra sonos m aut s deiectos esse, id quod inde a tertio a. Chr. n. saeculo saepissime in monumentis fieri nemo est quin sciat, nullo exemplo approbatur. — Iam pridem s sonum intervocalem r redditum esse scimus; tamen complura vetustioris s adsunt exempla Saliaria, 'adoriso' fr. 2, 'meliosum' fr. 3, 'meliosem' fr. 27, 'Loucesie' fr. 6, 'foedesum' fr. 7, 'asenam' fr. 20, 'pleisima' fr. 26, verumtamen duo quae tradita sunt recentioris usus exempla 'Mamuri Veturi' fr. 8 et 'promenervat' fr. 29 utrum genuinam carminum scripturam praebeant an a grammaticis librariisve mutata sint dubito. Ve-

turi nomen a Varrone traditum est, qui quamquam novare formas adamat, tamen ipse alias pristinae litterae s multa e Saliaribus carminibus protulit exempla, quare eum in nomine proprio hoc novasse veri sane dissimile mihi quidem videtur; item Verrio non modo non erat causa mutandi si forte 'promenervat' antiquitus traditum erat, immo vix potuit, quippe qui, cum verbum plane interiisset, noviciam eius formam omnino non nosset; sin de Minerva dea cogitasset, 'prominervat' scripsisset. Itaque et Veturii cognomen Mamurio posteriore demum aetate datum et 'promenervat' e carmine aliquo iuniore sumptum esse existimaverim. At s intervocale quando in r transierit, fere scimus: Appii enim Claudii Caeci aetate primum in nominibus propriis r pro s scriptum est, velut Papirius pro Papisio, quarto igitur a. Chr. n. saeculo sonus ipse mutatus esse videtur; itaque tempus quo fere orta sint iuniora fragmenta quodammodo constitutum est. Deinde coniunctos etiam sonos sm reperimus in verbis 'cosmis' fr. 2, et 'pesnis' fr. 22, cum postea extrito illo s vocalis producta sit; in tertii autem a. Chr. n. saeculi monumentis s permansit, velut 'cosmis' Dueni, 'triresmos' in columna rostrata, 'losna' in speculo Praenestino, 'cosmittere' apud Festum p. 47 (67), 'dusmo in loco' et 'Casmenae' apud Livium. Noviciam autem formam fr. 13 induisse (pennatas impennatasque) ex illo -nn- pro sn, deinde e negativo praefixo im- pro em- intelligimus.

Praeterea du- pro recentiore b- legimus fr. 2 'duonus', cf. 'Duenum', 'duonoro' in elogio Scipionis, 'Duelonai' in senatus consulto de Bacchanalibus, at iam medio tertio saeculo extat 'Belolai' (CIL I 44). Suffixum deminutivum quod posteris fuit -culo vel -ulo in Saliaribus carminibus caruit vocali, cf. 'poploi' fr. 19 ac 'priviclois' fr. 25; 'poltero' fr. 23 — si quidem recte ita emendatum est — recentiori aetati per -ul- scribendum fuit. Denique accentu vi elisas vocales exhibent fr. 1 (cante) et fr. 10 (agnas pro 'acinas').

Non modo sonorum natura, sed orthographia quoque, qua scripta carmina Aelius, Verrius, Varro legerunt, vetusta fuit; z litteram in carminibus reperiri testatur Velius Longus, cuius rei exemplum adest illud 'O Zol' fr. 2; et haec quidem res ultra Appium Claudium carminum aetatem remittit; deinde eo, quod 'recum' traditum est fr. 3 (apud Varronem), defuisse Saliis g litteram scilicet medio demum saeculo tertio inventam concludere licet; nondum geminatas esse consonantes in carminibus ex fr. 32 'polet' discimus, geminatio vero brevi ante Ennium primum usurpata dein Ennio monente Romanis mos factus est.

Restat ut ea quae in formandis vocibus et in declinatione nominum verborumque singularia habent carmina Saliaria enumerem. — Ac suffixo -ivius figuratum est 'sonivium' fr. 16, quocum conferas Clusivium et Consivium Iani dei cognomina; suffixum -umnus pro participio certo habendum (= -όμενος) exhibent Volumna (sive Volumina), Iunonis Lucinae cognomen, fr. 5 et 'pilumnoe' fr. 19; demi-

nutiva sunt 'priviclois' fr. 25, et 'molucrum' fr. 15, verbum frequentativum unum in reliquiis adest 'praeceptat' fr. 28. Compositorum verborum frequentem legimus in carminibus numerum, 'supplicate' fr. 1, 'adoriso' fr. 2 (e coniectura), 'praeceptat' fr. 28, 'promenervat' fr. 20, 'praepotiont' fr. 30, 'prospices' fr. 31, 'perfines' fr. 33, eaque iam extitisse sequitur praeterea ex 'insiciis' (fr. 13) atque ex adiectivo 'promeriom' (fr. 24). Itaque linguae latinae aevum etiam vetustius in animo habet Festus p. 444 (309): 'sub vos placo in precibus fere cum dicitur, significat id quod supplico, ut in legibus transque dato et endoque plorato'; atque leges quas citat Festus cum XII tabulae esse videantur, illa carminum Saliarium verba decemviris posteriora esse sequitur. Unum pristini illius usus, quo et adverbium et verbum disiuncta etiam erant, restat exemplum fr. 6 'prae ted tremonti'.

E declinatione nominum memoria digna fere sunt haec: Genetivi sing. nullum est exemplum, dativum unum legimus fr. 1 'deo', quod ne novatum ex 'deoi' existimes metrum obstare videtur; dativus igitur hic fibula Praenestina iunior atque aequalis fere Dueni inscriptioni est; ablativos adiecto illo d formatos duos carmina exhibent fr. 2 'verod' et fr. 6 'ted', contra 'poltero' fr. 23 et — si ablativus est — 'sonivio' fr. 16 novicias ostendunt formas. Vocum in -io desinentium vocativos habemus 'Mamuri Veturi' fr. 8, 'Patulci' fr. 2 (e coniectura), at 'Loucesie' fr. 6; nom. plur. per oi fr. 19 'pilumnoe poploe', contra per ei 'virei' fr. 6.

Genet. plur. 'divom' (bis) fr. 1, dat. vel abl. plur. 'priviclois' fr. 25, at mutata forma 'pesnis' fr. 21. Declinationem earum vocum, quae vulgo in -io exierunt, sibi non constare atque mox stirpem in -io, mox in is- secutam esse notum est, huius rei exemplum adest et Ianus et Ianis eodem fragmento, fr. 2, praeterea habemus 'manus' fr. 12 (cf. Dueni 'manom') quamquam posteris manes usitati erant, contra 'pescia' fr. 9, cui Marsum 'pesco' opponitur.

E verborum declinatione duae nobis servatae sunt formae vetustissimae, quae ad originem fere linguarum Italicarum recedere primo obtutu videntur, 'tremonti' tert. pers. plur. ind. praes. fr. 6 (tremunt) atque 'adoriso' sec. pers. sing. ind. praes. (adoriris) fr. 2; 'tremonti' primarium, ut aiunt grammatici, suffixum ostendit, contra 'praepotiont' fr. 30 secundarium. Iniunctivus imperativi significatu est 'prospices' fr. 31, 'perfines' quid sit infra ad fr. 33 disputatum est.

Itaque ut summam faciam, sunt quidem formae pervetustae, pleraeque vero ultra liberae rei publicae aetatem redire non videntur, contra nihil est, quod Appio Claudio recentius sit, nisi quod grammaticorum novandi studio deberi apertum est. Etiam angustioribus finibus circumscribere carminum Saliarium aetatem non possumus praeter quod fr. 19 (pilumnoe poploe) quarti saeculi (cf. comm.), saeculi eiusdem exeuntis fr. 8 (Veturi nomen) et fr. 29 (promenervat) esse verisimile est: sed certum est, non omnia uno eodem-

que tempore carmina composita esse, sed ut diversa esse ea carmina complura ex argumentis eorum cognovimus, ita variis temporibus orta esse ea ex genere dicendi elucet. Cum vero Aelius Stilo aliive grammatici, qui commentarios carminibus addiderunt, omnia uno corpore unoque libro comprehensa iam repperisse videantur (v. s. p. 321), deinde cum nihil fragmentis insit, quod citra tertii saeculi a. Chr. n. initium facta esse carmina comprobet, aut brevi ante Appium Claudium aut ab hoc carmina collecta editaque esse conicio.

Relinquitur nobis, ut pauca de metro carminum disputemus. Attamen de metro Saturnio iudicare et per se difficillimum est et ex his brevibus fragmentis omnino nihil de eo concludi potest; quare ad liquidum quaestionem perducere hoc loco nolo, non quo interpretationis metricae pericula bellaque subire dubitem, sed melius duxi, de versibus Saturniis alia data occasione quid sentiam proferre. — Atque versui quodammodo aptanda sunt fr. 1, 2, 6; quae si per quantitatem syllabarum metiri velis, in fr. 1 post 'patrem' thesin oppressam animadvertes, dein 'deo' pro una syllaba legendum tibi erit, (divóm patrém cánte — divóm deo súpplicáte.); tum fragmenti 2 versus prior difficillimus tibi erit, quem fortasse 'O Zól ádorĭso ómnia, veród Patúlci cósmis' leges, alter versus difficultatem non praebet (Es Sáncus Iånis dŭónus — Cérus es dúonus Iánus), fragmentum quidem 6 secundum quantitatem scandi nequit, nisi forte 'quomné tonas Loúcesié' ferire iubes. At si versus secundum accentum legere voles, fr. 1 recipies saturnium septies ictum: 'dívom pátrem cánte — dívom déo súpplicáte'; item fr. 6: 'quómne tónas Loúcesié' (vel Loucésié), tum 'praé ted trémonti quótque', reliqua verba quomodo discernenda sint incertum est; etiam initio fr. 2 quadrupedem habebis semisaturnium 'O Zól adóriso ómniá'.

Fragmenta minora quovis modo saturniis adaptari possunt; fr. 3 caesuram ante 'recum' habere videtur (potíssimúm meliósum — récum), fr. 13 ita inciditur: 'pennátas — ímpennátasque ágnas', qui versus utrum secundum quantitatem an per accentum figurati sint nemo diiudicet.

5. De dis Saliorum.

Deos quos invocatos esse a Saliis scimus, iam supra p. 322 enumeravi; sunt Ianus, Iuno, Minerva, Iuppiter, Mars, Saturnus, Cerus, Pavor Pallorque; contra Venus hunc in numerum non recepta erat. Praeterea omnes deos 'consentes' veneratos esse Salios sequitur ea re, quod axamenta in deos universos erant composita; atque omnino deos quasi uno concilio coniunctos esse intellectos, qui omnes summo deo (i. e. Iano) subiecti et ab eo geniti essent, videmus e fr. 1, ubi Ianum 'divom patrem' et 'divom deum' appellant, vel fr. 3, ubi 'potissimum meliorum regum' eum celebrant. Quos inter deos priores egerunt partes Ianus ac Mars. Atque Ianum imprimis laudasse Salios testatur Lydus de mens. IV 2: 'δυοκαίδεκα πρυτάνεις

... τοὺc καλουμένουc Cαλίουc ... ὑμνοῦνταc τὸν Ἰανόν', idem confirmatur fragmentis carminum, in quibus praecipuum obtinuit Ianus locum (fr. 1—4). Ianum autem summum Romanorum deum olim fuisse caelique potentem atque eo in loco habendum esse, quo posteriore aetate Iuppiter Graecisque Ζεὺc erat, iam Preller fere intellexit, Linde[1]) nuper argumentis firmavit; summus vero caeli deus quin ante omnia in Saliaribus carminibus celebraretur, omnino non fieri potuit. Recentiore quam Saliaria quidem carmina erant aetate Ianus cum aliis quibusdam dis in unum quasi numen coaluisse videtur, velut cf. Macrob. I 9, 15: 'in sacris quoque invocamus Ianum Geminum, Ianum patrem, Ianum Iunonium, Ianum Consivium, Ianum Quirinum, Ianum Patulcium et Clusivium' et Lydum de mens. IV 1: ὁ Λαβεὼν οὖν φηcιν αὐτὸν καλεῖcθαι Ἰανὸν Κοcίβιον, τουτέcτι βουλαῖον, Ἰανὸν κήνουλον, οἷον εὐωχιαcτικόν, πατρίκιον ὡcεὶ αὐτόχθονα, Κλουcίβιον ἀντὶ τοῦ ὁδιαῖον, Ἰουνώνιον τουτέcτι ἀέριον, Κυρῖνον ὡcανεὶ πρόμαχον, Πατούλκιον καὶ Κλούcιον οἱονεὶ θυρεόν, Κουριάτιον οἱονεὶ ἔφορον εὐγενῶν'; intelligimus igitur cum Conso deo et cum Quirino Ianum iam confundi aggregarique Iunoni, simul eum patricium et Curiatium appellari, quod gentium patriciarum deus vetus erat. Iam antea Ianus caelipotens cum solis deo concrevit, quod etiam Iovi accidisse e cognomine Lucerio Saliorum, Oscorum Lucetio efficitur; quare Sol non modo Ianus, sed etiam 'duonus Cerus' invocabatur (*vide ad fr. 2*).

Marti praeterea consecratos esse Salios et ex fr. 8 efficitur — nam Mamurius Martis dei cognomen erat, cf. comm. ad fr. 8 — et scriptores complures testantur, sicut Livius I 20, 4: 'Salios item duodecim Marti Gradivo legit', auctor de vir. ill. c. 3: 'Salios Martis sacerdotes, quorum primus praesul vocatur, duodecim instituit', Luc. de salt. 20: '(ὀρχήcεωc) ἦν οἱ εὐγενέcτατοι αὐτῶν τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν θεῶν Ἄρει οἱ Cάλιοι καλούμενοι ... ὀρχοῦνται', alios quidem praeter Martem appellant deos Servius (Dan.) ad Aen. VIII 285: 'sunt autem Salii Martis et Herculis' etc., et Liv. V 52, 7: 'quid de ancilibus vestris Mars Gradive tuque Quirine pater?' ceterum Martios esse sacerdotes vel ex ancilibus omnique ornamento Saliorum conspici potest, eaque e re cognoscimus simul Martem, quem veris solisque vel anni deum initio fuisse constat, bellicas adeptum esse virtutes ut ubique ita etiam apud Salios, qui mox Pavorem Palloremque, Martis scilicet comites, deos coluerunt; et haec fere Dionysius dicere videtur II 70: 'οὗτοι πάντεc οἱ Cάλιοι χορευταί τινέc εἰcι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνόπλων θεῶν'.

Recentiore aetate Herculem inter deos a Saliis cultos receptum esse primariumque tenuisse locum supra memoratum est, cf. Macrob. III 12, 5: 'Salios autem Herculi ubertate doctrinae altioris assignat, quia is deus et apud pontifices idem qui et Mars habetur. ... Est

1) *De Iano summo Romanorum deo (act. univ. Lundensis vol. 27) 1891.*

praeterea Octavii Hersennii liber qui inscribitur 'de sacris Saliaribus Tiburtium', in quo Salios Herculi institutos operari diebus certis et auspicato docet; item Antonius Gnipho . . . Salios Herculi datos probat' et Servii locum laudatum. Quirinum veneratos esse Salios sequitur e Servio ad Aen. VIII 663: 'Salios, qui sunt in tutela Iovis, Martis, Quirini', et Livii loco modo allato, quamquam carminum reliquiae de hoc deo plane tacent. Principum aetate imperatores nomina inter carmina Saliaria recipi iusserunt; quod non inde explicandum est, quod recentiore aetate etiam homines nobiles eximiosque carminibus suis Salii praedicare coeperint — cuius rei testes falso afferuntur Mamurius ac Lucia Volumna — sed imperatores deorum nacti venerationem etiam in carminibus Saliaribus cum ceteris dis adorati sunt.

Inter deos Saliares complures sunt, qui eandem fere vim virtutemque habent, quod quonam modo explicandum sit quaeritur. Velut habemus et Ianum et Iovem, qui uterque caeli lucisque deus est, Martem ac Quirinum, quae eadem numina esse habenda constat, Saturnum et Cerum, qui idem telluris agrorumque di sunt. Et Mars et Quirinus qua re distent inter se notum est: scilicet Mars Romanorum deus est, Quirinus Sabinorum[1]); itaque mixtam apud Salios et Romanam et Sabellam religionem ita fere esse, ut dei non coaluerint, sed in cultu iuxta tantum positi sint intelligimus; sed postea Mars priores egit partes, Quirini adeo obliti sunt Salii, ut ne in carmina quidem nomen eius reciperent; quamquam in cultu non neglectum esse Quirinum ab Agonensibus Saliis verisimile est. Quare idem de Iove ac Iano statuendum erit: atque cum Ianum, quamvis posteris e memoria religioneque evanescere coepisset atque oblivione paene obrutus esset, tamen antiquissimum primariumque Romanorum deum fuisse et aliis indiciis testimoniisque constet et carminum Saliarium fragmentis 1 et 3 evincatur, Iovem, qui recentiore quidem aetate summus caeli mundique rex solus putabatur, non origine Romana, sed Sabellica oriundum esse existimo. Iovem quidem Umbrorum deum fuisse ex Iguvinis tabulis didicimus, etiam Oscis eundem proprium fuisse monumentis. Oscis declaratur, apud Oscos solis deus factus Lucetius appellatus est: et viden etiam in carminibus Saliaribus ipso hoc Lucerii cognomine Iovem praeditum esse, antiquissimum igitur migrationis huius Iovis dei exemplum hoc carmen possides. — Saturnum cum Ope dea Latinos, Cerum Cereremque Sabellos esse collatis Oscorum Umbrorumque dis Cerfo Cerfiaque et Keri Kerriaque sequitur. Sin Romanam religionem, quam quidem apud Salios fuisse scimus, adeo fuisse mixtam cum Sabellica intelligimus, hoc esse factum videtur, cum Palatini Quirinalesque Salii consuetudine quâdam atque usu coniuncti sunt.

1) C. Preller, *Römische Mythologie vol. I ed. 3 p. 369.*

II.

Fragmenta.

Axamenta: Desunt fragmenta.

Versus Ianuli:

1. Divom patrem cante, — divom deo supplicate.

Testimon.: Varro de l. l. VII 27: 'canite, pro quo in Saliari versu scriptum cante, hoc versu' e. q. s. — Macrob. I 9, 14: '(Ianus) Saliorum quoque antiquissimis carminibus deorum deus canitur. . . In sacris quoque invocamus . . . . Ianum Geminum, Ianum Patrem, ... patrem, quasi deorum deum.' — Paul. ex Fest. p. 36 (52) (Ianus) 'cui primo supplicabant velut parenti et a quo rerum omnium factum putabant initium.'

Var. lect. Divom] diuum *bis F.* — patrem] empta *F, quod Corssen 'deorum ablegmina' interpretatus est collatis Festo p. 4 (4) et 16 (21);* divom empete *Grotefend (= impetu),* templa *Bergk 'divorum templa' coelum esse ratus,* em pa *Havet (= divorum eum patrem cf. fr. 21),* ⟨Diov⟩em potem *Zander,* deivom ⟨Ian⟩em pa⟨trem⟩ *Linde (de Iano summo Romanorum deo p. 30),* parentem *Bährens bene collato Paulo,* patrem *scripsi quod et facilius ex codicis memoria eruendum esse et sequi e Macrobio, qui aperte hunc locum in animo habet, existimo.* — supplicate] supplicante *F, corr. Grotefend, defendit Jordan quamvis interpretari nequiens,* divom deo supplice cante *C. O. Müller,* sub deo plicate *vel* sub deum placate *L. Müller,* divom deous(!) suplicate *Zander (= deo diei!).*

Comment. Versum hunc in initio primi carminis (Ianulorum scilicet) fuisse et ad Ianum esse referendum e testimoniis modo allatis constat. At Zander hoc fieri posse acriter negat, '*divom deo*' aetate, qua composita sint carmina Saliaria, dici nequire neque omnino tunc fuisse vocem 'deus' sed 'divus' ratus collato Varrone (ap. Servium (Dan.) ad Aen. XII 139): 'ita respondeant cur dicant 'deos', cum ⟨de⟩ omnibus antiqui dixerint 'divos'.' quare abiectis reliquorum auctorum de Iano summo antiquissimoque Romanorum deo testimoniis Iovem dictum esse statuit. Quas nugas siquis singulas refellere vellet, ipse nugosus esset! — Imperativi formam elisa media littera ortam '*cante*' neque vulgarem neque dialecticam esse sequitur ea e re, quod nusquam, quoad scio, tales imperativi reperiantur; elisorum sonorum, qui acuto accentui subsecuntur, magna in lingua Latina omnis generis est copia; quae syncope quod in imperativo 'cante' carminis Saliaris evenerit, causam esse puto in hoc carmine quaerendam, h. e. metri accentu orta est syncope. Et eandem fere rem ecce habemus in carmine Arvali 'síns incúrrere ín pleóres' pro 'sinas', simili huius causa ortum quoque est illud 'semunes alternei advocabit conctos' Arvalium pro 'advocabite'; animadvertimus igitur tribus ex his exemplis in versu illo Saturnio, quo quidem carmina haec sacra concepta sunt, evitari rythmum dactylicum, trochaicum autem ita effici, ut syllabae infirmae atque 'postsonae' accentus vi elidantur: quippe ea aetate syncopen saepissime accidisse scimus. — Ceterum forma dativi *deo* Saliarisne sit an novicia Varronique tribuenda incertum est; scilicet pleniores formae velut *deoi,* iam inde

ab iis temporibus, quorum monumenta aetatem tulerunt, perierunt, cf. mano *(inscr. Dueni, saeculi quarti a. Chr. n.)*, Lebro *(inscr. Pisaurensis)*, Feronia, Loucina *(Pisauri alibique)*, die *(Duen.)*, Fide *(Pisaur.)*; contra oi servatum est in fibula Manii Praenestina '*Numasioi*' sexto fere a. Chr. n. saeculo assignanda; et Salios *deo*, non *deoi* elocutos esse e metri natura mihi quidem verisimilius est.

2. O Zol, adoriso omnia — verod Patulci cosmis;
Es Sancus Ianis duonus, — Cerus es duonus Ianus.

Testimon.: Varro de ling. lat. VIII 27: 'In multis verbis in quo antiqui dicebant s, postea dictum r, ut in Carmine Saliorum sunt haec: e. q. s.' — Vel. Longus. (VII p. 51 K): (Z) 'mihi videtur nec aliena latino sermoni fuisse, cum inveniatur in carmine Saliari'. — Tertull. apol. 10: '(Italiam) In qua Saturnus ... exceptus ab Iano vel Iane ut Salii volunt.'

Var. lect.: 'cozeulodorieso . omia ūo adpatula coemisse . ian cusianes duonus ceruses . dun; ianusue uet pomelios eum recum' *habet locum F, secuntur quattuor spatia vacua.* — 1. O Zol adoriso] *conieci.* — Ozeul adosiose *Bergk, quod Solem esse putavit collatis Usil Etruscorum atque Auseliis Sabinorum ap. Paul. p. 18 (23), deinde comparata glossa (Corp. gloss. II p. 8, 21)* 'adoriosus, ἔνδοξος', O Zeul adoriesis *Jordan,* Cozevi adoriose *Havet (= Consivius),* Ozeul, o domine es *Bährens,* O Zaul adoriese *Zander (= Sol adorire).* — omnia, verod Patulci cosmis] verod *et* cosmis es *conieci,* omnia *in codice,* omina vero *Corssen, Bergk (*osmina *praeferre se Bergk dixit),* ad Patulcie misse *Bergk (= precationes admitte),* Patulcius Clusivius *Jordan,* Patulti oenus es *Havet, (de* omniaveroad *uterque desperans),* omnium pater, Patulci Cloesi *Bährens,* verom ad patla coemis es *Zander (= ad portarum patentes aditus comes es).* — 2. Sancus Ianis] *correxi,* Iani cusianes *Corssen (= curiones),* ianitos Ianes *Bergk perperam comparato Paulo p. 73 (103):* 'ianeus, ianitor', Ianus cusianus es *Jordan,* ianicus Iane es *Havet,* es Ianeus, ianes es *Bährens,* ianeus Ianes *Zander.* — duonus] *vulgo ad insequentia refertur.* — Cerus es] *corr. Corssen.* — duonus Ianus] *corr. Bergk,* oenus *Bährens, qui* Ianusve uet *delet; reliqua ab hoc fragmento seiunxi, cf. fr. 3; etiam Bergk quidem hunc Varronis locum in tria distribuit fragmenta, primum post* adosiose, *dein post* Cerus es *interpungens.*

Comment. Priusquam de sententia fragmenti omnium quae aetatem tulerunt maximi disseram, verba ipsa, quomodo restituenda atque explananda sint disputandum est. — E longa illa vocum lacerarum litterarumque obscurarum serie eminent pauca verba haud corrupta, quae, si loco mederi volumus, ante omnia accuratissime nobis observanda sunt, velut '*omnia*', '*duonus*' (cf. Corp. gloss. II p. 56, 56: duonus, ἀγαθός), '*Cerus es*', '*Ianus*' certa esse videntur; pro *dun;* (= dunus) facili mutatione '*duonus*' scribendum est, item e *patula* Iani *Patulcii* nomen procul dubio eruendum, cf. Macrob. I 9, 15: 'In sacris quoque invocamus .... Ianum Patulcium et Clusivium', Ovid. fast. I 127: 'Modo namque Patulcius idem Et modo sacrifico Clusius ore vocor', Serv. ad Aen. VII 611: 'alii Clusivium dicunt, alii Patulcium, quod patendarum portarum habeat potestatem', Lydus de mens. IV 1: '῾Ο Λαβεὼν οὖν φησιν αὐτὸν καλεῖσθαι .... Πατούλκιον καὶ Κλούσιον οἱονεὶ θυρεόν'. — Dehinc quid in corruptis syllabis lateat videamus. Atque in initio et *Ozeul* vel *Usil* ille et

O Zeul inepta sunt nomina; Etruscorum enim Usil quid cum Iano Romanorum haberet commune nemo adhuc ostendit; neque Ozeul cum Auseliis cognatum esse potest neque Zeul idem ac Ζεὺϲ propter l est neque e u diphthongus in Latino sermone tolerari quit: notionem Solis subesse huic nomini consentiunt docti, tamen falsa est Zanderi coniectura '*Zaul*', quoniam a u neque ex origine vocis expectandum est neque postea in o transire potuit, cf. Vaniček *Etymol. Wörterb. ed. 2 p. 347* et Schweizer-Sidler *ann. philol. 123* (1881) p. 43.*[1]) Quare corrigenda est Florentini memoria scribamusque *Zol,* z litteram autem testatur Velius Longus et comprobat Umbrorum scriptura *zeřef* (= sedens) vel Faliscorum *zenatuo.* — Iam in codice legitur '*odorieso*', quo in vocis monstro certe propter Varronis lemma s inter vocales illud conservandum est; 'adoriose' collata glossa haud male coniectum esse videretur, nisi s illud etiam in posteriore latinitate mansisset, quod Varroni contradicit; cum vero sequens *omnia* verbum desideret verbique suffixum ecce adsit in syllaba -eso vel -iso (cf. Stolz *Gramm. lat. ed. 2 pg. 360*) atque nonnisi una littera mutata adoriendi verbum accipiamus, Bergkii coniecturam non comprobo, Zandero me adstipulo. Ex *adoriso* (quocum cf. ἕπεο) secundum linguae leges *adorire,* mox ex activi analogia *adoriris* factum est; ceterum formam in e, non in is exeuntem me quidem iudice legimus etiam in carmine Arvali '*advocabit*', quod pro '*advocabite*' (advocabitis) scriptum esse eliso -e finali supra ostendi ad fr. 1. — Et *adoriso* scribens ipse dubium esse velim, utrum *adorīso* = adorīris an *adorĭso* = adoreris pronunties; sane nescimus, quae Saliis forma usitata fuerit. In '*ūo (= vero) ad*' subesse ablativi formam priscam in *d* exeuntis acute iam Jordan divinaverat, restituendum igitur erit *verod;* ex *coemisse* minime eliciendum est Clusi Clusiviive nomen, quod iusto maiore mutatione egeret; sane pessimum autem est illud Zanderi inventum '*coemis*', quod pro comite ille habet (= coguemis); *comes* procul dubio a *com-* praepositione atque eundi stirpe derivandus est; et praeter etymologiam multa peccavit Zander: m ineptum est, -is finalis interpretatione caret, -gu-, modo umquam fuisset non disparuisset, coem- in cŏm- contrahi non potuit: at talia silentio praeterire melius fuit. — Itaque una littera correcta scribo *cosmis,* hanc enim fuisse vocis cōmis pristinam formam Dueni 'cosmis virco' docet.[2]) Porro pro traditis '*ian cusianes*' '*Sancus Ianis*' conieci; sin '*ianeus*' a lectione tradita eadem facilitate scribitur, a sententia Sancum deo Romanorum summo melius convenire, quam ianeum ianitoremve apparet. *Ianes* nominis forma cum apud Varronem extet

1) Qui comparatis got. sauil, graec. ἥλιοϲ e stirpe 'saw' ducit vocem, ita ut antea 'sāol' fuerit.

2) Eadem e stirpe 'cosmis' derivandum puto, qua graecum κόϲμοϲ, quod bene Froehde *(in Kuhnii annal. 23 p. 311)* cum lat. *castus* et sanscr. *çâtra* et *çâsana* confert, respondent igitur recte soni ā — ŏ — ă; frustra Solmsen *ib. vol. 29 p. 329* κόϲμοϲ et *censeo* coniungere studuit, quod rectum esse graecae linguae leges vetant.

acute ab aliis Tertullianus testis advocatus est, qui praeter Ianum etiam Ianem fuisse dicit. Iam '*Ianis*' quomodo accipiendus sit quaerentes ad deorum nomina hoc carminis Ianuli fragmento appellatorum interpretanda accedamus.

Allocuntur Salii Solem, quem eundem Ianum existimant; et sententia versuum duorum ita fere exprimi potest: 'O Sol, (qui) ad omnia vadis (surgis), re vera comis Patulci: es bonus Sancus Ianius, es bonus Cerus, (es) Ianus.' Et Ianum, caeli summum deum, etiam solem habitum esse non modo conici potest, immo comprobatur exemplis et Iovis, qui Lucerius sive Lucetius dictus est, velut 'lucis auctor', scilicet cum solis deo in unum coaluit, et Dianae, quae postea Artemidi Graecae similis putata atque pro luna habita est. Ad caelum autem super omnem terram patens spectat cognomen Iani Patulcii, quod a stirpe verbi patendi vel a '*patulus*' adiectivo derivatum est; cf. Paul. Diac. p. 277 (220): 'patulum bovem Plautus appellat, cuius cornua diversa sunt ac late pateant', ex patulo *patulcus* dictus est, ut *petulcus* ex *petulo* (cf. petulantia); et huc referendum est, quod Iano iani ianuaeque sacra erant, scilicet imaginem dei Patulcii reddere videbantur, qui arcu suo mundum contegit. Idem vero cognomen etiam ad solem referri posse Salii canunt, quippe qui omnia adoriatur et similiter atque Ianus late pateat. — Deinde '*Sancus Ianis duonus*' Sol sive Ianus appellatur; constat autem saepissime in vetustiore latinitate — imprimis autem in sermone qui dicitur vulgari — pro verbis in -ius desinentibus stirpes per i-declinationem formatas usui fuisse; quod hic accidisse ubi '*Ianis*' formam testantur et Tertullianus et Varronis libri, crediderim. Sancus[1]) quid sit, ipsum eius nomen docet: nempe dius Fidius, h. e. numen 'sanctorum pactorumque' intelligendus erit, quod munus in Sabellorum religionibus partim Semoni contigit, qui inde Semo Sancus laudari solet, partim Iovi, velut apud Umbros. Et 'Ianius Sancus', quem ex summo deo Iano derivatum esse velut Dium Fidium ex Iove nomine efficitur, tamen Iano adeo permansit cognatus, ut simul cum eo etiam Soli par haberetur. — Denique '*duonus Cerus*' cum Ianus Solve appellentur, nihil hoc communis habet cum genio vel creatore; Cerum aliter omnino non explicari posse nisi fuisset Cereris socius idemque, qui Kerris Oscorum, Cerfus Umbrorum infra ad fr. 12 disputatum est. Qua re efficitur Ianum coaluisse etiam cum terrae frugumque deo, quod factum esse ne diffidas liceat conferre 'Ianum Consivium'; sane Consus nequaquam nomen accepit a consilio, ut veteres aiebant, sed terrae deus 'absconditus' (cond-to-s — consus) iure nominatus est; Consivius porro Ianus dictus est, quippe qui cum Conso concrevisset eiusque virtutes suscepisset. Ac tum, postquam Solem Patulcium recte dici, Cerum et Sancum Ianium esse affirmatum est, uno verbo comprehenduntur haec nominaturque

1) Cf. Preller *Röm. Mythol. ed. Jordan II p. 271.*

Ianus. Ceterum hanc ob rem intelliges, qua de causa hoc fragmentum Ianulis carminibus, non carmini alicui in Solem composito attribuere malui.

3. Potissimum meliosum recum.

Testimon.: Varro de l. l. VII 26 *[cf. fr. 2]:* 'vel po. meliosum recum'. Festus p. 244 (205): 'pa pro parte et po pro potissimum positum est in Saliari carmine'.

Var. lect.: ue uet põmelios eum recum *F*; promelios es recum *Jordan (= optime),* meliose im recum *Havet (= meliorem eum regum), ex anteriore fragmento voces* 'duonus Ianus' *huc rettulit scripsitque:* 'duonus Ianus auctet, po *(= quo)* meliosem recum' *Bergk,* promelios devom recum *Bährens (= maximus dominorum caelestium),* veveis promerios prome dius enum reconde *Zander, qui postea* recumde *praetulit.*

Comment. Syllabas in Varronis codice '*Ianusue uet põ*' plane obscuras ex *vel* aut *ve vel* corruptas esse conicio, ita ut haec verba Varro velut alterum exemplum e carminibus Saliaribus petitum priori addat. Deinde pro illo *po* optime nobis offertur testis Festi ille locus, quod iam Bergk acute observavit; ceterum *po* non locuti sunt Salii, sed hoc scriptum in editione aliqua invenit Aelius pro voce '*potissimum*'. Ac cum Varro propter -s- intervocale servatum hoc fragmentum laudaverit, pro '*melios eum*' casus aliquis restituendus erit, quem genetivum esse ex sequenti *recum* efficitur. *Recum* pro *regum* vetusto more scriptum esse et miro aliquo casu etiam ad Varronis carminum contextum durasse nemo est quin sciat. — His autem verbis Ianum Salios allocutos esse comparato fr. 1 constat, sed quod '*meliores reges*' dei nominati sunt, non solum ad concilium illud omnium caelestium alluditur, sed etiam duae tribuuntur dis virtutes, qui et reges humanarum scilicet rerum totiusque mundi appellantur et boni i. e. vacui a vitiis magis quam homines celebrantur.

4*. Ianituos.[1]

Testimon.: Varro de l. l. VII 26 *[vide ad fr. 2 et 3, post quae spatium vacuum quattuor versuum, tum secuntur haece:]* 'Foedesum, foederum *[= fr. 7],* plusima, plurima *[= fr. 26],* meliosem, meliorem *[= fr. 27],* asenam, arenam *[= fr. 20],* ianitos, ianitor'....

Var. lect.: ianituos] ianitos *F, ita ipse Varro legit, quod correxi vide comm.,* ianeus *coni. Havet. — Et hoc et quae infra sunt fragmenta 7, 20, 26, 27 e carminibus Saliaribus laudasse Varronem consentiunt viri docti; quamquam enim multa desunt in codice F Varronis, inter quae etiam alterius auctoris librive nomen excidere potuisse nemo est quin concedat, tamen duae harum glossarum extant quoque apud Festum (fragmenta 26 et 27), et altera quidem loco p. 244 (205), quo non nisi verba Saliaria contineri verisimillimum est.*

Comment. Vox '*ianitos*' iure offensionis ansam dedit Haveto; namque cum Varro hanc vocem laudet, ut a pristinis Romanis s pro r in multis verbis fuisse demonstret, tamen horum in ordinem ianitorem non cadere certum est, quippe qui numquam s, semper r inde ab

---

1) Quibus asteriscus appositus est fragmenta e carminibus Saliaribus esse sumpta ex ipsis testimoniis non constat.

initio linguae indogermanicae habuerit, cf. Brugmanni „*Grundrifs d. vergl. Grammatik*“ *II p. 353;* itaque aut errat Varro aut repperisse se hanc vocem in carminibus Saliaribus alibive turpiter mentitur; illud sane magis probaverim, quoniam mendacii auctorem diligentissimum vix quisquam convincat. Erroris vero causam fuisse existimo, quod re vera Varro formae *ianitos* simillimam in carmine aliquo Saliorum legeret, quam aut per negligentiam aut coniectura '*ianitos*' esse debere putaret; et hanc vocis formam '*ianituos*' fuisse collato *aedituo, atrituo* similibusve conicio; namque, quae postulatur ipsa Varronis glossa significatio ianitoris, inesse ianituo unus quisque mihi concedet (velut aedituos 'qui aedem tuetur' ita ianituus 'qui ianuam tuetur').[1])

Ianituos i. e. ianitor Ianus deus dictus esse mihi videtur, cf. Ovidii fast. I 137:

'Utque sedens primi vester prope limina tecti
 Ianitor egressus introitusque videt,
Sic ego perspicio caelestis ianitor aulae
 Eoas partes hesperiasque simul'

quocum conferas Horat. epist. II 1, 255: 'Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum' aliosve locos. Atque haec Iani summi Romanorum antiquissimis temporibus dei cum iano, ianua, ianituo ianitoreque comparatio minime ad virtutem notionemque eius, qualis re vera fuit pertinere potest, orta autem est ex etymologia quadam vulgari, qua deus, qui per Iovem iam opprimi coepit cuiusque vix iam reminiscebantur Romani, ianuarum portarumque dominus redditus est; conferas quaeso Lycurgi aliorumque lucis solisve deorum apud Graecos cum lupis cognationem vel Epimetheum vulgari etymologia ex Prometheo (*'Pramatha'*) ortum.

Versus Iunonii.

5. Varro de ling. lat. IX 61: 'Praenomina mulierum antiquarum Mania, Lucia, Postumia; videmus enim Maniam matrem larum dici, Luciam Voluminam Saliorum carminibus appellari' etc.

Var. lect.: Voluminam] Volaminiam *F Varronis,* Volumnam *corr. Zander, qui idem melius* Voluminam *scripsit 'Versus italici' p. 31; in Augustini loco in comm. allato* Volumnae *habent FC*, Voluminae *A*.

Comment. Fragmentum bene explicuit correxitque Zander collato Augustino de civ. Dei IV 21: 'Quid necesse erat Opi deae commendare nascentes .... deae Menti, ut bonam haberent mentem, deo Volumno et deae Voluminae ut bona vellent'; hanc enim nascentium deam Luciam Voluminam sive Volumnam eandem esse quam Iunonem Lucinam idem observavit; falso antea mulieris cuiusdam clarae nomen inter carmina Saliaria positum esse docti putaverant (velut Marquardt „*Röm. Staatsverw.*“ *III ed. 2 p. 438 adn.* et Bährens).

1) Ceterum iam Zanderum '*ianituos*' coniecisse ex indice editioni eius adnexo novissime perspicio.

'Lucia' appellata est dea, ut postea Lucina vel uti Iuppiter Lucerius sive Lucetius, Volumna, quasi favens volensque feminis parturientibus, postea vero solum cognomen illud 'Volumna' de Iunonis Luciae (vel Lucinae) Volumnae nomine solutum semideam, quae nascentibus parturientibusque praefuit significabat; quod saepius ita factum esse nemo est quin sciat.

Versus Minervii: Desunt fragmenta.

Carmen in Iovem:

6. Quomne tonas, Loucesie,
Prae ted tremonti quotque — virei dei.

Testimon.: Terent. Scaur. (VI p. 28 K): 'Adverbium autem per q debeat scribi, ut „quom legissem", „quom fecissem", quoniam antiqui pro hoc adverbio „quomne" dicebant, ut Numa in Saliari carmine' etc. — Festus p. 244 (205): 'Prae ted tremonti, praetremunt te.' — Macrobius I 15, 14: 'Cum Iovem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carminibus canunt.'

Var. lect.: Quomne] *correxi bis, vide infra,* cuine *codd. Scauri B et P et in fragmento et in grammatici verbis,* cume *Putsch,* cum e *Ribbeck,* qume *Jordan,* quome *Bährens,* quōme *Zander.* — tonas] *corr. Corssen,* ponas *B P.* — Loucesie] Leucesiae *B P,* Leucesie *vulgo post Corssenum,* Leucetie *Düntzer et Jordan,* Loucesie *ego e glossa, vide infra.* — Prae ted tremonti] praetexere monti *B P Scauri,* pretet tremonti *F Festi (ex apogr.), corr. Bergk,* tremont *Jordan, qui* hemones *addit,* prai *et* tremonte *Zander.* — quotque virei dei] quot ibet etinei de is (eunei de his *P*) cum tonarem *B P,* quo tibimet cunei dehiscunt *Corssen,* quom tibei cunei decstumum tonaront *Bergk,* quoti ibe tet viri audeisunt tonare *Havet,* quot †ibet† hemunis devi conctum mare *Bährens,* quot⟨quot⟩ ubei⟨que⟩ hemunis deiveis *Zander, qui* conctum mare *e Baehrensio sumit addito* m⟨ontes campoe⟩, quot ibi est „cuine" id est „cum" *restituit grammaticoque vel glossatori cuidam tribuit Jordan.*

Comment. Vocem illam quam pro 'cum' stare Terentius Scaurus testatur incipere a littera q ex eiusdem verbis elucet, quare pro ea quam in Scauris libris habemus lectione certe insana corrigendaque adverbium a q incipiens, velut *quom,* scribendum est, tamen minime probandum Iordani *qume* — quocum ille comparari iussit Umbrorum *pune* ac *ponne* —, quippe quam formam ficticiam omnes linguae latinae regulae aspernantur. Etiam magis repudiandum illud *quom e*; etenim *e* particula non postponitur, sed praeponitur voci ad quam referenda est, velut équidem, ecastor, edepol, éccere, 'é nos iuvate'. Neque melius est Zanderi quōme, quod ille — horribile dictu — ex '*quosme*' ortum esse vult! Sed optimo iure Umbrorum particulam attulit Jordan, scilicet similem huius formam Scaurus in carmine legisse videtur; illorum autem formae '*ponne*' latina aut '*quom-de*' aut '*quom-ne*' responderet; namque quaeritur, utrum *ponne* compositum sit ex '*pom*' (quom) cum '*de*' an cum '*ne*'; illud voluerunt Umbricarum reliquiarum interpretes, quibuscum facit etiam Brugmann *„Grundr. d. vergl. Gramm." I p. 373,* hoc mihi multo videtur veri similius esse collatis *panne, postin, postne, perne, superne.* Um-

brorum, *tanne* vel *tamne* carminum Saliarium (vide fr. 34). Quae si ita sunt *quomne* etiam huic carmini reddendum erit.

Iam quaeritur quaenam fuerit nominis Iovis Lucetii forma Saliaris. *Leucesie* vel *Leucetie* qui scribunt falsi esse mihi videntur, neque enim diphthongus *eu* ferri potest in Latina lingua neque in lucis sive 'loucis' stirpis familia *eu*, at ubique *ou* in monumentis vetustioribus reperitur, velut *Loucina, Loucanam, loumen, loucom, loucarid, poloucta* Latina, *Loucilia* et *Losna* (ex 'Loucsna') Praenestinorum, *Loucies* Paelignorum, *Loucanom, Loucies, Lovkis* vel *Lovikis* Oscorum. Ac falso dixeris, *eu* diphthongum in *ou* mutatum demum esse post carmina Saliaria vetustissima; namque satis superque constat *eu* iam periisse iis temporibus, cum etiam coniunctae fuerunt Italorum linguae gentesque. Ergo mutatione sane facillima *louc-* carmini huic restituendum est. Deinde sonum s in nominis suffixo refert Scaurus, -etius habet Macrobius; cuius testimonium minus grave nobis videbitur, si meminerimus Gallorum Martis Lucetii vel Loucetii, quocum hercle Macrobius Loucesium Saliarem confundere potuit. Illam nominis formam testantur praeterea Paul. Diac. ex Fest. p. 83 (114): 'Lucetium Iovem appellabant, quod eum lucis esse causam credebant', Gellius V 12, 6: 'Idcirco simili nomine Iovis Diovis dictus est et Lucetius, quod nos die et luce quasi vita ipsa afficeret et iuvaret. Lucetium autem Iovem Cn. Naevius in libris belli Poenici appellat', Marius Victorinus (VI p. 12): 'Nostri etiam, quotiens eiusdem soni longa syllaba (i. e. ū) scribenda esset et ipsi u adiungebant o litterae; inde scriptum legitis Loucetius nountius, loumen et cetera', Servius ad Aen. IX 567: 'Sane lingua Osca Lucetius est Iuppiter dictus a luce quam praestare hominibus dicitur. Ipse est nostra lingua Diespiter.'

Discimus igitur *Loucetium* Oscam fuisse nominis formam, quam quidem quod Naevius mutuavit nemo miratur, Salios vero ab Oscis nomen accepisse per se minime credi potest. Atque iam adest glossa (*Corp. gloss. II p. 124, 34*) 'Lucerius, Ζεύς', qua efficitur Loucesium Saliaris carminis recte dictum Scaurique memoriam servandam esse. Et compositum quidem nomen est ita, ut *Toitesia* vasculi Dueni, *Valesius, Numisius* aliaque plura.

Quae subsecuntur verba '*prae ted tremonti*' remotissimae antiquitatis speciem adeo exhibent — excepta praepositione 'prae', quam grammatici novasse videntur — ut Iordano vel suspicionem moverint; ac Iordanum fuisse qui sequerentur sane mireris iure satisque refutatum nunc a Zandero; formam rectam esse atque existere olim potuisse nemo erit qui neget collata Graecorum Oscorumque coniugatione, in Saliaribus carminibus lectam esse duo grammatici testantur; quos quidem quod Jordan non duplicem praestare memoriam, sed Festi lectionem e Scauri codicibus ortam esse contendit merae argutiae vanaeque sunt. Sed etiamsi utrumque grammaticum ad unum Aelii Stilonis commentarium redire putares — quod nemo umquam adhuc demonstrare conatus est —, qua commotum causa

Aelium existimas formas e libidine figurasse? Et hercle formam finxisset rectissimam, quamquam aliunde eam nosse non potuit! At iustam disciplinarum philologicarum rationem si sequaris, concedes formam bis traditam nec per grammaticae leges falsam conservandam esse!

Iam finis fragmenti quomodo scribendus explicandusque sit quaeritur, quem ego dubitans ipse quidem ita restitui '*quotque virei dei*'. Ac verba in codicibus misere lacerata fragmenti Saliaris esse, quae sana libri exhibent '*cum tonarem*' apertam esse interpolationem ex dittographia scilicet illius '*quomne tonas*' ortam existimo, Iordanum quodammodo secutus; qui quidem cum totam illam sententiam corruptam pro Scauri vel interpolatoris alicuius verbis habuerit falsus esse videtur, neque enim ita vocem *tonarem* additam esse explicare poteris. In verbis corruptis inesse subiectum verbi '*tremonti*' patet iureque similia ab Haveto, Baehrensio, Zandero coniecta sunt. Memoriam vero si quam artissime sequamur, perspiciemus, adesse nobis relativam aliquam formam *quot* vel *quoi* vel simile, deinde nominativum pluralem in *ei* exeuntem (sive dualem eum appellare mavis), postremo *deorum* vocabulum; forsitan insit quoque *ibi* (*ibei*) vel *ubi* vel *libet* conicere possis. Quibus e traditae lectionis vestigiis id quod supra scripsi restituere conatus sum; ad tradita verba propius accederet, si *quotlibet* scriberemus, at hoc verbum a carminibus Saliaribus sane alienum esse duco, *quotque* etsi alibi non traditur tamen recte formatum est.

7*. Foedesum.

Var. lect.: Varro de l. l. VII 26 (*cf. fr. 2 et 4*): foedesum, foederum. — fedesum, federum *F*, *a Varrone igitur oe scriptum esse videtur, quod in libris in e mutari solet, namque oi si Varro habuisset, alium in modum librarii corrupissent. Saliaris carminis* foidesom *quin proprium fuerit procul dubio est.*

Comment. Foederum mentio facta esse videtur in carmine, quo deus, cui omnia pacta, foedera, iura iuranda sacra erant, celebrabatur, itaque ad Iovem Diumve Fidium fragmentum hoc refero. Ceterum etiam Iano antiquitus foedera sancta fuisse e cognomine eius Sanco supra conclusi (*vid. comm. ad fr. 2 p. 334*), tamen probabilitatem maiorem eaque quae constant sequi malui.

Carmina in Martem:

8. Mamuri Veturi.

Testimon.: Varro de ling. lat. VI 49: 'Memoria quae a manendo, ut Manimoria potest esse dicta; itaque Salii quod cantant „Mamuri Veturi" significant memoriam ⟨veterem⟩.' — Plut. Numa c. 13 fin.: Τῷ δὲ Μαμουρίῳ λέγουϲι μιϲθὸν γενέϲθαι τῆϲ τέχνηϲ ἐκείνηϲ μνήμην τινὰ δι᾽ ᾠδῆϲ ὑπὸ τῶν Cαλίων ἅμα τῇ πυρρίχῃ διαπεραινομένηϲ. οἱ δὲ οὐ Οὐετούριον Μαμούριον εἶναί φαϲι τὸν ᾀδόμενον ἀλλὰ οὐετέρεμ μεμορίαμ, ὅπερ ἐϲτὶ παλαιὰν μνήμην. — Paul. Diac. e Fest. p. 99 (131): 'Mamuri Veturi nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hac de causa, . . .

Probatum opus est maxume Mamuri Veturi, qui praemii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent.' Ovid fast. III 259:

'Quare caelestia Martis
Arma ferant Salii Mamuriumque canant.'

idem III 389:

'Tum sic Mamurius „Merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent."
Inde sacerdotes operi promissa vetusto
Praemia persolvunt Mamuriumque vocant.'

Var. lect.: Mamuri Veturi] Mamurie Veturie *contra codices et usum scripsit Zander. — In Varronis verbis post* memoriam *in F lacuna* (metuere *V*, meminere *M*, monere *rell.*) veterem *e Plutarcho addidi.*

Comment. Verba '*Mamuri Veturi*' non in carmine omnium carminum Saliarium postremo extitisse, quod antea putabant docti, sed in stropharum fine quasi versum intercalarem canta. esse collatis Festo 'nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant' et Ovidio 'nomina extremo carmine sonent' acute conclusit Usener. Atque duae erant de Mamurii nomine sententiae, Varronis, qui non hominem significari, sed memoriam veterem dici putabat, et Ovidii, Plutarchi (e Verrio ut videtur hoc capite haurientis), Dionysii, Festi, aliorum, qui ancilium sacrorum fabrum Mamurium appellari credebant. Utramque opinionem vanam esse apparet, quippe illa insanis Varronis etymologiis digna quae aggregetur, haec aetiologorum studio debetur. Sed illustravit fragmentum Prellero praeeunte Usener *mus. Rhen. 30 p. 183.* Etenim festo Mamuralium die, quae prid. id. Martias habebantur, ver novusque annus cum eo incipiens ita celebrabantur, ut homo sub Mamurii nomine pellibus vestitus vapulabat et ultra urbis fines expellebatur, cf. Lydum de mens. III 29 (= IV 36): Ἐν εἰδοῖς Μαρτίαις πομπῆς γιγνομένης ἤγετο καὶ ἄνθρωπος περιβεβλημένος δοραῖς καὶ τοῦτον ἔπαιον ῥάβδοις λεπταῖς ἐπιμήκηςι Μαμούριον αὐτὸν καλοῦντες· ... ὅθεν παροιμιάζοντες οἱ πολλοὶ ἐπὶ τοῖς τυπτομένοις διαγελῶντές φασιν ὡς τὸν Μαμούριον αὐτῷ παίζοιεν οἱ τύπτοντες. λόγος γὰρ καὶ αὐτὸν Μαμούριον δυσχερῶν τινῶν προσπεσόντων ἐπὶ τῇ τῶν ἀρχετύπων ἀγκυλίων ἀποσχέσει τοῖς Ῥωμαίοις παιόμενον ῥάβδοις ἐκβληθῆναι τῆς πόλεως, paullo aliter Serv. ad Aen. VII 188: 'cui et diem consecrarunt, quo pellem virgis feriunt ad artis similitudinem' et Minucius Felix Octav. c. 24: 'scuta vetera circumferunt, pelles caedunt'. Ille quem Lydus describit mos communis erat gentibus indogermanicis — id quod Usener optime interpretatus est — anni praeteriti numen expellendi; et similiter apud Romanos Anna Perenna (eiusdem veteris anni dea) in aquam missa esse videtur[1]), mox paucis diebus post recentis anni deus Mars cum Nerione dea nuptias egit. Hic vero Mamurius Veturius i. e. Mars vetus, anni praeteriti deus quin invocatus precibus cantuque sit hoc fragmento Saliari ex iis, quae Preller atque Usener exposuerunt, non iam du-

1) Cf. etiam infra fr. 17.

bium est. Sed huc alterum Saliarium carminum fragmentum (fr. 9) '*pescia*' incidere iam Usener divinavit; pescia autem secundum Aelium Stilonem sunt 'capitia ex pellibus agninis facta'; nempe his 'pescibus' is qui Mamuralium die festo Mamurii partes agebat vapulabatque indutus erat. Postea interiisse morem expellendi hominis substitutasque esse pro homine pelles a sacerdotibus caesas locis Servii Minuciique intelligimus.

In nomine Mamurii Veturii scribendo pronuntiandoque non constant sibi auctores veteres; primam quidem syllabam produci ostendit praeter Ovidium Propertius IV (V) 2, 61: 'Mámurrí formaé caelátor aénae', quamquam Varro — sicut ex etymologia eius concludas — brevem esse eam putasse videtur; comparandum igitur nomen est cum Mamerte, Mamerco, Mavorte, Matuta[1]). Secundam autem syllabam longam habet Propertius[2]), qua cum forma Mamurram conferas et Morrium, Saliorum, ut Servius vult, conditorem. Contra Māmŭrium pronuntiavit Ovidius et ita Dionysius (Μαμόριος) nomen intellexisse videtur; Μαμούριον eum appellant Plutarchus ac Lydus. Illam formam praeferendam esse existimem, si Morrium et Mamurrium aeque esse cognatos reputem atque Martem et Mamertem, hanc tueri videtur carmen Arvale, quo Mamor a fratribus invocatur, Martis cognomen.

9. Pescia.

Testimon.: Fest. p. 258 (210) 'pescia in Saliari carmine Aelius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta, quod Graeci pelles vocent πέσκη neutro genere pluraliter', cf. Hesych. πεσκέων· δερμάτων.

Comment. Aelii Stilonis etymologiam secuti vulgo viri docti huic voci pellis notionem inesse cognatamque eam esse cum Graeco πέσκος existimant, velut Usener comparans '*pectere*' et πόκος ex '*pec-scia*' ortam esse coniecit. At miro modo, haec si ita essent, substantivum suffixo *sce* (*scia*) formatum esset! Equidem ego malim Italicas linguas conferre, ubi habemus Marsorum '*pesco*' (esos novesede pesco pacre, „sacrum ad pacandum") et Oscorum '*pestlom opsannom*' (sacrum (i. e. templum) operandum); idem autem verbum frequens est apud Umbros[3]), velut '*este persclum eneto*' (illud sacrum inito), '*persclumař cařitu*' (ad sacrificium calato), '*pir persclu uřetu*' (ignem in sacrificio urito); precationis potius vis inesse voci videtur aliis locis, ut '*persclu semu vesticatu atripursatu*' (simul cum preci-

1) Cf. *Archiv für latein. Lexikographie VIII (1892) p. 290*, ubi Mamor Arvalium a me num recte reiectus sit iam dubito; cf. praeterea Weissbrodt apud Schweizer-Sidlerum, *annal. philol. 123 (1881) p. 42*. — A stirpe mor- fortasse et Morrius (Ma-murrius) et Ma-mor (Mamurius) fingi potuit; ipsam hanc stirpem utrum cum Martis nomine cognati quid habeat necne nescio.

2) *Mamurri* ex optimo omnium codice Neapolitano restituit L. Müller.

3) Quamquam *persclum* non habere in latinis quod responderet ratus est Bücheler.

bus libato et tripodato), '*ennom persclu eso deitu*' (tum preces ita dicito) aliaque. Vis igitur verbi Italis communis nonnisi '*sacrum*' videtur fuisse, quam Marsi vetustioresque Umbri tenuerunt, posteriores Iguvini 'preces', quae in sacro immolando fiebant, intellexerunt, Osci in sacellum templumve mutarunt; Latini vero hanc multo angustioribus finibus circumscripserunt, qui — dummodo Aelius recte pescia interpretatus sit — capitia intellegebant i. e. vestem illam sacram, qua Mamurius indutus esse videbatur, qua de re cf. comm. ad fr. 8. — '*Perscom*' ab Italis dictum esse videtur, quod servarunt et Marsi '*pesco*' et Latini '*pesce*' loquentes; item deminutive '*persclum*' vel '*pesclum*' Umbri dicebant, '*pestlom*' Osci. Osca quidem forma Brugmann (*Grundriss d. vergl. Gramm. I p. 281*) commotus stirpem verbi *pers-* esse putavit, unde suffixo *-tlo* addito *pestlom* Oscorum, Umbrorum *persclum* ortum esset. Cui etymologiae et Marsa vox '*pesco*' et — si huc incidere mecum iudices — latina '*pescia*' obstant; et Oscum forsitan e '*persc-tlo*' ortum sit.

10*. Petilam suram.

Testimon.: Fest. p. 244 (205) 'petilam suram siccam et substrictam vulgo interpretantur. Scaevola ait ungulam albam equi ita dici.'

Comment. Interpretationem vulgatam vocis *petilus* legimus in Nonio II p. 149 M: 'petulum tenue et exile. Lucilius lib. XXII „Insignis varis cruribus et petilis". Plautus Plocio „namque coloratum frontem habet petilust habrus", petilus tenuis dicit.' Contra Scaevolae sententiam quodammodo variatam habet Isidorus orig. XII 1, 52: 'qui autem albos tantum pedes habent, petili appellantur, qui frontem albam callidi.' Petilam suram esse tenuem, parvam, exilem Plauti Luciliique exemplis a Nonio allatis affirmatur; Scaevola autem ungulam albam equi interpretans, dum recte haec statuerit — et comprobatur eius sententia usu vocis, quem Isidorus testatur — ex huius fragmenti verbis concludere ea nequiit, conclusit igitur e toto carminis huius conexu, itaque hoc carminis loco de petilo (i. e. exili) alboque equi pede sermo erat. Ac si quaerimus, qua in occasione equus albus sive albi eius ungues commemorati a Saliis sint, factum id esse in sacro aliquo veri simile est; equos vero immolatos esse uni Marti scimus, cf. Paul. p. 57 (81) 'Equus Marti immolabatur, quod per eius effigiem Troiani capti sunt vel quod eo genere animalis Mars delectari putaretur' et Fest. p. 194 (178): 'October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricium dexterior. Quem hostiae ⟨loco⟩ quidam Marti bellico deo sacrari dicunt, non ut vulgus putat, quia velut supplicium de eo sumatur, quod Romani Ilio sunt oriundi et Troiani ita effigie equi sint capti: multis autem gentibus equum hostiarum numero haberi testimonio sunt Lacedaemonii, qui in monte Taygeto equum ventis immolant ibidemque adolent, ut eorum flatu cinis eius per finis quam latissime differatur. Et Sallentini,

apud quos Menzanae Iovi dicatus vivos conicitur in ignem, et Rhodi, qui quotannis quadrigas Soli consecratas in mare iaciunt, quod hic tali curriculo fertur circumvehi mundum.' Addas etiam Germanos, qui Wuodano deo equos immolabant: intelligimus igitur apud populos indogermanicos deo solis caelive immolatos esse equos. Iam equum in carmine aliquo Saliari commemorari cum videamus et reminiscamur diem 19. Octobris festum Saliorum fuisse armilustrio faciendo[1]), de hoc die hocque equi Octobris sacrificio nostro loco dici existimo. Et album equum optime ad deum solis lucentem idoneum esse apparet. *Petilus* autem vox[2]) cum iam pridem periisset et equum albis exilibusque pedibus praeditum apud Salios significasset, mox posterioris aevi homines, velut Isidori fons, omnem equum qui albos pedes haberet petilum dixerunt.

Carmina in Saturnum ac Cerum:

11. Fest. p. 476 (325): '(Saturno ..) qui deus in Saliaribus Saeturnus nominatur.'

Var. lect.: Saeturnus *ex titulo restituit Ritschl*, Saturnus *F*, Sateurnus *cum Paulo Diacono C. O. Müller, Havet, Bergk, Jordan.*

Comment. Formam '*Saeturnus*' tuentur et titulus vasculi CIL I 48: 'Saeturni pocolom' et vas Dueni, in quo *Iove sat* (Iovi Saturnio) scriptum, a vero ex e correctum est. De origine nominis[3]) nihil iam mihi constare videtur, Saturnum e vetusto Saeturno oriri potuisse vulgari analogia, unde verbum 'sero — satum' sequerentur, O. Keller '*Latein. Volksetymologie*' *p. 36* docuit.

12. Cerus manus.

Testimon.: Paul. p. 87 (122): 'In carmine Saliari Cerus manus intelligitur creatur bonus.' — Fest. p. 130 (146): 'Manos in carminibus Saliaribus Aelius Stilo significare ait bonos.'

Var. lect.: manos] (*sc. in Festi loco*): manuos *F*, manues Aurelius *codd. Pauli,* manes *excerptor ut formam usitatam scripsisse videtur.*

Comment. Cerum Festus nominat, '*Cerrus*' nominis formam postulavit Bücheler (*Umbrica p. 99*) probante nuper Wissowa (*in Roscheri lexico mythologico*). '*Keri pocolom*' habet vas antiquissimum in Latio repertum (CIL I 46), Ceres dea Romanorum certe uno scripta est r; contra in ceterorum Italorum linguis stirpem *cers*- reperimus, *Čerfum* apud Umbros, *Keri* (dat.) apud Oscos, *Cerfum* Paelignorum; eadem stirpe etiam dea haec Sabellorum nomen accepit, quae *Cerfia* ab Umbris, *Kerria* ab Oscis vocabatur, cf. etiam '*regena piai Cerie Iovia*' in inscriptione Marrucinorum. Hanc stirpem *cers*- extitisse quoque apud Latinos e vocibus '*cerritus*' et *cena* (e *cersna*, cf. silicernium) sequitur. At apud Varronem (fr. 2) et

1) Cf. Marquardt *ed. 2 p. 436.*
2) Cuius origo quae fuerit ignoro.
3) Cf. *Archiv für lat. Lexik. VIII (1892) p. 292.*

apud Festum cum Cerus uno r scriptus traditus sit Varroque voces vetustas nova orthographia reddere fere ubique consueverit, deinde cum titulus ille antiquissimus '*Keri*' formam praestet neque absit a veri specie, eccere exclamationem figuratam esse ex *é* atque Ceri huius nomine, *Cerum* scribendum nobis esse deum, non Cerrum existimo; sane praeter *Cerēs* (*cerĕs-* in casibus obliquis, *cers-* in nominis forma dialectica) quin potuerit stirps *Cero-* existere nemo erit qui dubitet. Atque velut Osci Umbrique deam feminam Kerriam (Cerfiam) a mariti Kerris (Cerfi) nomine nuncuparunt, ita Latini, quae Cererem uno r pronuntiabant, etiam Cerum simplici r dixisse ac scripsisse putandi sunt.

Sed hunc Cerum, quem creatorem interpretatur Verrius, genium esse simileque numen vulgo putant, Iovem dictum esse 'quia ille procreandis hominibus praeesset' (!) acutus ille mythologus Zander edixit, iam melius Ianum intelligendum esse velut totius mundi creatorem Linde (*de Iano summo Romanorum deo*) existimavit. Ut illa plane mittam e vana nempe Verrii etymologia orta, qui more mythologorum diis singulas virtutes notionesque attribuit, haec Lindii opinio fulciri quodammodo videtur verbis fr. 2: '*Cerus es duonus*', quibus Solem Ianumve appellari constat; attamen Cerum omnino seiungi posse a Cerere dea vehementer nego; Cerus quomodo accipiendus sit — id quod modo in origine vocis explicanda tacitus sumpsi — docent Cerfus Cerfiaque Umbrorum et Kerris Kerriaque Oscorum, scilicet est terrae frugumque deus maritus Cereris, coniunctique hi sunt velut Liber Liberaque, Iovis Iunoque, Ianus et Diana multique alii. — Cerus *manus* dicitur, non manis, namque '*manes*' altero Pauli loco aut librariis aut ipsi excerptori esse tribuendos supra exposui. Adiectivi formam secunda (o) declinatione structam priorem fuisse praeter hunc locum confirmatur inscriptione Dueni: 'duenos med feced en manom, einom med mano statod'.

13. Pennatas impennatasque agnas.

Testimon.: Paul. p. 257 (211): 'p. i. a. in saliari carmine spicas significat cum aristis et alias sine aristis. 'agnas' novas voluit intelligi.'

Var. lect.: que *metri causa (sic!) sustulit Zander,* pesnatas impesnatasque acnas *mavult Bergk; post alterum illud Pauli* agnas *nomen grammatici alicuius (velut Aelii) excidisse aut Festi aut Pauli aut librorum culpa apparet.*

Comment. Vocem '*agnas*' neque cum agno cognatam esse neque pro adiectivo notionis '*novi*' habendam esse per se patet; sin spicae sint agnae, nomen ab acina vel acino derivandum erit; et femininam quidem formam habet etiam Catullus 27, 4: 'Ut lex Postumiae iubet magistrae Ebria acina ebriosioris'; ex *acina* autem vi accentus eliso medio sono *acna* — *agna* ortum est[1]); eadem a stirpe habes vocem '*acus*' (palea) apud rerum rusticarum scrip-

1) De vocum *acus, acinum* etymologia cf. Aufrecht in *Kuhnii annal. I p. 353.*

tores. — Spicarum frumentique mentio ad deos frumenti et agriculturae nos vocat, in carmine igitur Saturno vel Cero (vel fortasse Opi Cererique?) dicato haec verba fuisse videntur, conicias in sacrificio aliquo commemorando ea dicta esse, quo spicae deo dabantur, quod Cereri factum esse testatur Paul. Diac. p. 465 (319): 'Sacrima appellatur mustum, quod Libero sacrificabant . . sicut praemetium de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri.' At mira sane ratione Zander ad Robigum vel Robiginem verba refert, quamquam Robigum a Saliis celebratum esse non modo non traditur, sed veri dissimillimum est.

Carmen in Pavorem Palloremque: Desunt fragmenta.

Fragmenta, quae ad sacra facienda spectant:

14. Insicia.

Testimon.: Varro de ling. lat. V 110: 'Insicia ab eo, quod insecta caro, ut in carmine Saliorum est, quod in extis dicitur nunc „prosectum".' — *Falso Havetum Zanderumque non* insicia *sed* insecta caro *carminis verba putasse sequi mihi videtur e* Macrob. VII 8: 'Dicas, quaeso, quae causa difficile digestu facit isicium, quod ab insectione insicium dictum amissione n litterae postea quod nunc habet nomen obtinuit.'

Comment. Insicia, i. e. exta cocta ac dis in ara porrecta commemorata esse, ubi de sacro deo deaeve cuidam vel faciendo vel facto ageretur elucet. De ratione carnem secandi immolandique cf. Marquardt *Römische Staatsverw. III p. 183.*

15*. Festus p. 116 (141): 'Cloatius etiam in libris sacrorum molucrum esse ait lignum quoddam quadratum, ubi immolatur; idem Aelius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur; Aurelius Opilius appellat, ubi molatur.'

Var. lect.: molucrum esse ait] *correxi*, aiunt *F*, Cloatius et Aelius *coni. O. Müller, quod nomine Aelii infra appellato falsum est.* — lignum] *correxi*, ligneum *F*.

Comment. Fragmentum dubium esse, an in ipsis carminibus Saliaribus lectum esset scripsit Bährens; tamen ex iisdem sumptum esse existimo, quoniam Verrius in Aelii Stilonis 'explanatione carminum Saliarium' id legit neque aut Aelius in commentario suo aut Aurelius Opilius atque Cloatius libris simul omnes id commemorassent, nisi pro Saliari voce habuissent. Lignum autem quadratum molucrum fuisse quod Cloatius refert, optime convenit ea cum re, quod in sacris vetustioribus multas servatas esse prisci ritus reliquias, velut vasa lignea et capides 'vasa fictilia Saliorum' (vid. infra fr. inc. 1), notum est.

16*. Sonivio.

Testimon.: Festus p. 408 (209): ⟨Soni⟩vio significat in car⟨mine Saliari tripudio a⟩ugurali, sonanti', cf. Paul. l. l. 'sonivio sonanti', *ubi* carmine Saliari *suppl. Ursinus*, tripudio *ex altero loco addidi* Festi

p. 422 (297): '<Soni>vium tripu<dium dictum ait Claudius> Pulcher quod <cani solet cum exci>dit puls quadr<upedibus pullisve>'; *lacunas supplevi,* tripudium ut ait Appius *suppl. C. O. Müller, deinde idem* quod sonet cum pullo excidit; — plus *F*, puls *corr. Ursinus; cf. praeterea* Serv. ad Aen. V 90: 'Tripudium sonivium, id est a sono.'

Fragmenta, quae ad locos sacros spectant:

17. Serv. (schol. Dan.) ad Aen. II 166: 'Quamvis quidam pontifices a *ponte sublicio, qui primus Tibri impositus est,* appellatos tradunt, sicut Saliorum carmina locuntur.'

Comment. Ipsam hanc quam scholiasta profert etymologiam in carminibus Saliaribus dictam esse minime credi potest, itaque verba 'sicuti Saliorum carmina locuntur' referenda erunt ad pontem sublicium primum Romae Tibri impositum: nihil nisi pontis sublicii nomen in carminibus fuisse et ad hoc scholiastae verba spectare negaverim, quoniam huius nominis explicandi causa profecto non opus erat Salios arcessere. — Atque in ponte sublicio[1]) sacrum saltationemve facta esse a Saliis sacerdotibus sequitur e Catullo c. 17, 5

'Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsili sacra suscipiantur.'

Collatis quidem rebus ad fr. 8 enarratis possis cogitare de Anna Perenna in flumen deiecta; vel forte reminiscaris sexagenariorum illorum de ponte deiectorum: quae tamen minus certa esse videntur.

18. Albanus tintinnat.

Testimon.: Nonius I p. 40: 'tintinnire dicitur sonare ... Nigidius lib. XVIII „itaque recte in Saliaribus 'Albanus tintinnat', id est sonat".'

Var. lect.: recte] *correxi*, ex re *codd.*, ex aere *Aldus.* — Albanus] adtanus *codd., corr. Lipsius,* altanus *Aldus (sc. ventus),* attanus *Swoboda; lectiones et codicum et Manutii Swobodaeque omni carere sensu existimo.*

Comment. Quaeritur Albanum montem lacumne an hominem quendam intelligamus; mons quidem tintinnire dici potest, cum feriae Latinae aliave sacra in eo habentur, lacus sonat ventis concitatus, hominem tintinnantem aut loqui aut cantare aut tubis tibiisque canere intelligimus: sed iam patet talium rerum nullam ad Salios carminaque Saliaria quadrare, nisi si montem Albanum aut clamore hominum festivorum aut cantu similive ratione tintinnantem i. e. sonantem interpretamur. Ceterum utrum haec commemorata sint, ubi feriarum Latinarum mentio fiebat, an cum Salii Albani appellabantur, obscurum manet.

Incerti argumenti fragmenta:

19. Pilumnoe poploe.

Testimon.: Festus p. 244 (205): 'Pilumnoe poploe in carmine Saliari Romani velut pilis uti assueti, vel quia praecipue pellant hostis.'

Comment. *Pilumnoe poploe* genetivum esse casum, non nominativum pluralis voluit Corssen *Aussprache, Vokalismus u. Betonung*

---

1) Cf. etiam γεφυρισμοὺς Eleusiniorum.

der lat. Spr. I ed. 2 p. 528, cum de uno populo Romano plurali numero dici non posset; adsentitur Zander additque omnino talem nominativum pluralem non extitisse; qui tamen vir genetivum eum esse natura metri vetari putat, etenim qualis est metricus ita versum scandit 'pilúmnōē poplóē' neque dubitat temere Saliis formas vindicare, quas ne Ennius quidem alienigéna (cuius est *terrái frúgiferái*), commisit, itaque pró dativo verba habet. At esse haec verba nominativo plurali posita satis superque e Festi verbis sequitur, exiisse olim pluralem in *-oi* notum est (cf. Stolz *Lat. Gramm. ed. 2 p. 334*). Praeter hanc formam — secundum Brugmannum ex analogia pronominum oriundam — alteram extitisse — sive pluralem sive dualem appellare mavis — in *-ei* exeuntem, unde postea *-ē* ortum est, sequitur e *ploirume* in Scipionis elogio vel *socie* in aere Fucinensi, sed usitata illa recenti aetate forma in *-i* desinens nonnisi ex illo *-oi* orta esse potest. — Neque vero est cur in numero plurali pro una gente Romana posito offendamur: etenim si consideraverimus vocis '*populus*' originem[1]) notionemque olim fuisse eam quam πλῆθος, plēbes haberet, i. e. οἱ πολλοὶ, deinde si contulerimus in carmine suo Arvales '*pleores*' (= complures) dixisse, cum unius gentis Romanae notionem in animo haberent, sane concedemus etiam Salios '*poploi*' (i.e. multitudo) cantasse, intellexisse Romanorum populum ex his multis compositum. Quare in vulgari latinitate, in qua '*populi*' usurpantur velut homines (nostrum *„Leute"*), non depravatam esse vim vocis vel Africana latinitate corruptam[2]), sed ut saepius factum est antiquiorem usum esse conservatum iudico.

Sed haec nominativi pluralis forma quamquam pervetusta esse videtur, tamen huius quidem fragmenti aetatem non usque ad Numae Romulive aetatem recedere ex adiectivo *pilumnoi* sequitur; pilumni dicuntur Romani, quia pilis armati sunt, pila autem vel Polybii temporibus nonnisi hastati principesque ferebant, cum triarii etiamtum hastis armati essent, et verisimile est Camilli fere temporibus pila ab Etruscis aut Samnitibus mutuata esse: itaque non ultra quartum a. Chr. saeculum hoc fragmentum scriptum esse videtur neque servata *oi* diphthongus huic sententiae contradicit, quippe quam exhibeat etiam Dueni vasculum saeculi a. u. c. quarti initio fictum.

De re ad quam fragmentum referatur nihil affirmare ausim, iustoque audacius Zander in Martio carmine aliquo haec lecta esse coniecisse mihi videtur; Salii autem ancilia gladiosque gestabant, non pila neque hastas, ad hos igitur verba non spectant, Romani vero in quovis carmine appellari potuerunt.

20*. Asenam.

Testimon.: Varro de ling. lat. VII 26 [cf. *fr. 4*]: 'asenam, arenam.'

---

1) Cf. *Archiv f. lat. Lexikogr. VIII (1892) p. 292.*
2) Hoc voluit Sittl '*Lokale Verschied. d. lat. Spr.*' *p. 108.*

21. Pa (= *parte*).

Testimon.: Festus p. 244 (205): 'Pa pro parte et po pro potissimum [*cf. fr.* 3] positum est in Saliari carmine.'

Var. lect.: parte] patre *coni. Huschke,* patrem *Havet, qui ad fr. 1 refert,* pa pro qua parte et po pro quo potissimum *Bergk, Oscam Latinamque linguam pessime confundens.* Parte *scilicet in carmine fuit, licet Verrius eiusve auctor* pa *abbreviate scriptum legerint.*

22*. Pesnis.

Testimon.: Festus p. 214 (205): 'Pesnis, pennis ut Casmenas dicebant pro Camenis et cesnas pro cenis.' cf. idem p. 252 (209): 'pennas antiquos ferunt appellasse peenas ex Graeco, quod illi πετηνὰ ea, quae sunt volucriora dicant. Item easdem pesnas ut cesnas.' — Casmenas et cesnas carminibus vindicare nolui, quippe quae nonnisi commentarii instar a Verrio voci Saliari addita sint.

23*. Poltero (?).

Testimon.: Festus p. 244 (205): 'poltero pro ulteriore.'

Var. lect. polteo *F*, pro olteo *coni. Havet,* pro oltro *Zander,* poltero *scripsi quamvis dubius.*

Comment. Loco procul dubio corrupto neque Zander neque Havet medelam adhibuere rectam; namque vocem quam interpretatur Festus incepisse ab littera *p* certum est neque illud '*pro*' carminis, sed Festi esse sequitur ex aliis grammatici locis. Tamen Haveti coniectura per se haud spernenda quodammodo accipienda mihi videtur verbumque quaerendum esse, quod eadem stirpe atque '*uls*' derivandum sit (cf. alius — alter, cis — citra, ita *ols, olim — *olter), itaque quod tentavi '*polter*' compositum forsitan sit ex *po*-praepositione (cf. pono — *posino) et illo **olter.* At verisimiliorem coniecturam si quis forte habeat, minime obversabor.

24*. Promeriom.

Testimon.: Fest. p. 244 (205): 'promeriom praecipuum, praeter ceteros meritum, aut 'promedium', hoc est †participat† aut pro indiviso dicimus.'

Var. lect.: promerion *F*, promeriom *iam Corssen, qui 'locum pro muro situm' intelligit,* promerios (= *promeritus*) *Zander,* promerito *Lindemann post Scaligerum,* promedion *Bährens* (= *promelios*).

Comment. Promeriom media r littera legisse videtur Verrius, quod ex eius interpretatione '*praeter ceteros meritum*' sequitur; quam lectionem cur mutemus nulla causa est, figuratum enim est adiectivum, velut *eximius* aliaque.

25. Priviclois.

Testimon.: Fest. p. 244 (205): 'priviclois, privis id est singulis.'

Var. lect.: priviclio es *F*, *quod duplici archetypi memoria ortum videtur,* privicloes *superscripta i littera, ut fieret* priviclois; *illud posterioris aevi est, hoc Saliis dedi,* privicloes *vulgo post Ursinum.*

Comment. Eandem quam *priviclos* vim habebat etiam *privos,* cf. Fest p. 282 (226): 'privos privasque antiqui dicebant pro singulis.' Hanc autem vocis '*privus*' vel '*priviculus*' significationem pri-

stinam atque vel Italis communem fuisse sequitur collata Umbrorum lingua, cf. tab. Iguv. V 17, ubi '*muneklu habia numer prever*' infra opponitur '*muneklu habia numer tupler*', tum '*numer tripler*'.

26*. Plisima.

Testimon.: Varro de ling. lat. VII 26 [*cf. fr. 4*]: 'plusima, plurima.' Festus p. 244 (205): 'plisima, plurima.'

Comment. *Plisima* Festus, Varro *plusima* quamquam tradunt, tamen eundem carminum Saliarium locum ab utroque dictum esse consensus casus numerique docet; utraque vero forma novicia esse grammaticisque deberi mihi videtur, quod de '*plusima*' quidem unusquisque mihi concedet. Etiam *plisima* a Verrio novatum est ex antiquiore '*pleisuma*', hanc enim formam Saliarem esse mavelim [1]), quam quod C. O. Müller Saliis dedit '*ploisuma*', cum *-ei-* more solito per *-i-* redditum esse ab Verrio non sit quod miremur, sin *-oi-* fuisset, vox et Varroni et Verrio scribenda fuisset per *oe*.

27*. Meliosem.

Testimon.: Varro de ling. lat. VII 26 (v. s.): 'meliosem, meliorem.' Paul. Diac. e Fest. p. 87 (122): 'meliosem meliorem dicebant.'

Var. lect.: meltom *codd. Pauli*, meliom *Scaliger*, meliosem *ex Varrone iure corr. Thewrek.*

28. Praeceptat.

Testimon.: Festus p. 244 (205): 'Praeceptat in Saliari carmine est saepe praecipit.'

29. Promenervat.

Testimon.: Festus p. 244 (205) [*cf. fr. 28*]: 'promenervat item pro monet', cf. Paul. p. 88 (123): 'Minerva dicta, quod bene moneat.'

30*. Praepotiont.

Testimon.: Fest. l. l.: 'praepotiont, praeoptant.'

Var. lect.: praedotiont *F*, praedopiont *Meursius, correxi.*

Comment. *Praedotiont* corruptum esse constat, sed quod vulgo scribitur *praedopiont* etiam falsius est; neque enim *prae* praepositio finale *d* habuit (cf. Buecheleri *lexicon Italicum p. 22*) neque '*opiont*' pro optant umquam aut fuit aut secundum etymologiam esse potuit; *praepotiont* quod conieci eadem e stirpe esse videtur atque *peto, impetus,* graec. ποτνιῶμαι.

31*. Prospices.

Testimon.: Fest. l. l.: 'prospices, prospice.'

Comment. *Prospices* et quod infra est fr. 33 '*perfines*' coniunctivi forsitan sint secundum primam quam dicunt coniugationem formati, modo fuerint huius coniugationis verba prospicare ac perfinare. Ego malim equidem vel utrumque vel certe prius pro

1) Cf. *Archiv f. latein. Lexikographie VIII (1892) p. 291.*

iniunctivis, ut grammatici nunc aiunt, habere, ut fere Bergk iam divinavit 'antiquam imperativi formam' esse, quae 'personae significationem servasset'; similes habemus Graecorum formas vi imperativorum usurpatas ἐπίϲχεϲ, ἐνίϲπεϲ, ἄγεϲ pro ἐπίϲχε, ἐνίϲπε, ἄγε. Ceterum *perfines* eodem modo quo *prospices* esse interpretandum verisimile est, quamquam si quis verbum esse denominativum, perfinare igitur esse postulandum, cuius coniunctivus sit '*perfines*' contendat, ego non contradixerim.

32*. Polet.

Testimon.: Fest. l. l.: 'polet, pollet, quia nondum geminabant antiqui consonantes.'

33*. Perfines.

Testimon.: Fest. l. l.: 'perfines, perfringas.'

Comment. Vide comm. ad fr. 31.

34*. Tamne.

Testimon.: Fest. p. 546 (360): 'tamne in carmine positum est pro tam.'

Var. lect.: tame *F, correxi,* tamde *Lipsius, carmini Saliari adscripsit Scaliger probante C. O. Muellero.*

Comment. Post '*carmine*' aut Festi aut librariorum culpa excidisse '*Saliari*' videtur, similem enim formam Saliarem habemus '*quomne*' fr. 6; *tamne* testatur Festus p. 542 (359): 'Tanne, eo usque, ut Aelius Stilo et Opilius Aurelius interpretantur', ubi ex interpretum horum nominibus lectum esse hoc in carminibus Saliorum veri fit simile.

35*. Saepia (?).

Testimon.: Fest. p. 408 (290): '<saepia.. in salia>ri carmine ap<pellantur ..... sae>pia pro sedilibus di<cebant .... ad>huc in consuetudi<ne sunt>.'

Var. lect.: saepia *bis supplevi; reliqua C. O. Muelleri sunt supplementa.*

Comment. Ipsa vox a Festo allata cum codice deleto interciderit, quid in carmine Saliari fuerit sane difficile est diiudicatu, recte quidem carminis Saliaris nomen restituit Müller. Sed circumspicienti quaenam vox haec fuerit ab *s* littera incipiens et in syllabam *pia* desinens, cui sellae similisve rei vis inesset, nihil mihi quidem Minerva insusurravit, nisi *saepia* (nom. plur. neutr.). Quae quidem vox quamquam alterubi non commemorata est, tamen 'saepium' locus circumsaeptus ac sedilis loco a Saliis sacerdotibus habitum esse potest, velut fuit praesaepes significatione domus apud Plautum, Varronem, Ciceronem Vergiliumque; pluralem autem, non feminini generis singularem '*saepia*' esse propter Festi verba 'pro sedilibus dicebant' existimo.

Fragmenta incerta (vide p. 324).

1. Glossa Vaticana (*corp. gloss. IV p. 28, 2 cf. gloss. Sang. ib. IV p. 215, 20*) 'capides, vasa fictilia Saliorum', cf. Paul. Diac. p. 33 (48): 'capis, poculi genus, dictum a capiendo', Nonium XV p. 547: 'Varro de vita populi Romani lib. I „etiam nunc pocula quae vocant capulas ac capides"'; Varro d. l. l. V 121: 'Capides et minores capulae a capiendo, quod ansatae, ut prendi possent; id est capi. Harum figuras in vasis sacris ligneas et fictiles antiquas etiamnunc videmus'.

Var. lect.: capides] cardens *V*, candes *S*, *corr. Löwe*. — fictilia] *sic S*, fictiva *V*. — Saliorum] *V*, *om. S*.

2. Varro de l. l. VI 14: 'In libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium est, forsitan hic dies (sc. Liberalium) ideo appellatur potius agonia.'

3. Festus p. 370 (270): 'redantruare dicitur in Saliorum exultationibus, cum praesul amptruavit, quod est 'motus edidit', ei referuntur invicem idem motus.'

4. Festus p. 25 (35): 'Bellicrepam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant, quod a Romulo institutum est, ne simile pateretur, quod fecerat ipse, cum a ludis Sabinorum virgines rapuit.'

Index verborum carminum Saliarium.

Quae stellula insignia sunt verba, ea nonnisi per coniecturam supra scripta esse animadvertas.